THE LATIN READER,

BY

FREDERIC JACOBS

AND

FREDERIC WILLIAM DÖRING.

WITH

NOTES AND ILLUSTRATIONS,

PARTLY TRANSLATED FROM THE GERMAN,

AND

PARTLY DRAWN FROM OTHER SOURCES,

BY JOHN D. OGILBY,

PRINCIPAL OF THE GRAMMAR SCHOOL OF COLUMBIA COLLEGE, NEW-YORK.

PART FIRST,

FROM THE SEVENTH GERMAN EDITION.

EIGHTH NEW YORK EDITION.



NEW YORK:
W. E. DEAN, PRINTER, & PUBLISHER.

1845.

STEREOTYPED BY FRANCIS F. RIPLEY,
NEW YORK.

TO

THE HONOURABLE

WILLIAM A. DUER, LL.D

PRESIDENT OF COLUMBIA COLLEGE IN THE CITY OF NEW YORK,

THIS LITTLE WORK

IS INSCRIBED

AS A TRIBUTE OF RESPECT

FOR

DISTINGUISHED TALENTS AND UNBLEMISHED INTEGRITY.

PREFACE.

THE Latin Reader, now offered to the public, forms part of a work well known in Germany, under the title of "Lateinisches Elementarbuch zum öffentlichen und Privat-Gebrauche von Friedrich Jacobs und Friedrich Wilhelm Döring." The German edition consists of six parts, of which the 1st and 2nd are comprised in this volume. The 3rd contains extracts from Caesar, Curtius Rufus, Livy, Sallust, and Tacitus; the 4th is made up of excerpts from Cicero's Epistles and Orations; the 5th is composed of selections from Ovid, Martial, and the Anthologia Latina; and the 6th embraces parts of Catullus, Tibullus, Propertius, Lucretius, Virgil, and Seneca. As this little book is intended merely to give the learner such an acquaintance with the fundamental principles of the Latin language as will enable him to enter with advantage upon the study of the preparatory course for our College, it has been deemed advisable to omit the contents of the last four volumes. A part of them is contained in the course for entrance, and the rest is too difficult for mere beginners.

It may be necessary here to state the reason for publishing a New York edition, when one has already been issued from the Boston press. It will be readily acknowledged, that if the assistance of notes is necessary to the learner in Germany, where the advantages in classical instruction are incomparably greater than in our country, they are much more requisite to the American pupil. It has been the object of the editor, therefore, to supply this deficiency in the previous American editions. Most of the Notes have been translated from the German; others have been supplied, which the superior state of instruction on the Continent would render unnecessary there.

It is hoped that this little work may be found serviceable to those who use it, and contribute in some degree to the advancement of sound elementary education.

Grammar School, Columbia College.
New York, Jan. 1830.

CONTENTS OF PART FIRST.

FIRST DIVISION.

INTRODUCTORY EXERCISES.

SUBSTANTIVE AND ADJECTIVE.

Decl. I. Lingua Graeca. Silva umbrosa. Hora ultima. Divitiae incertae. Tenĕbrae spissae. Latĕbrae tutae.

Poëta bonus. Agricŏla laboriosus. Aurīga perītus. Collēgae optimi.

Borĕas violentus Pyrītes durus. Comētes rutĭlus. Planētae vagi.

Crambe recocta. Epitŏme accurata, brevis.

Decl. II. Amīcus carus. Servus infĭdus. Liber bonus. Vir generosus. Ager fructuosus. Silentium altum. Vincŭlum firmum. Verba vera.

Humus humĭda. Dialectus Attica. Diphthongus longa. Periŏdus concinna. Methŏdus optima.

Decl. III. Sermo Latinus. Sermōnes prudentissimi. Pavo pictus. Pavōnes splendidi. Pugio cruentus. Pudor ingenuus. Flos cadūcus. Ros matutīnus. Mores antiqui. Pes claudus. Pedes gracĭles. Frater germānus. Anser tardus. Mus parvus. Mures albi. Lepus timĭdus. Lepŏres pavĭdi. Paries proximus. Pariĕtes picti.

Orīgo incerta. Consuetūdo optima. Gens barbăra. Gentes remotae.

Ordo primus. Ordĭnes densi. Cardo ferreus. Marmor candĭdum. Marmŏra maculosa. Iter longum. Itinera longinqua. Rus amoenum. Rura jucundissima. Crus dextrum. Papāver rubrum. Ver jucundum.

Seges laeta. Merces larga. Quies exoptata. Lex divina. Leges sevērae. Faex sordida.

Aestas calida. Aetas aurea. Laus jucunda. Fraus improba. Turris alta. Vulpes astūta. Fames dira. Mors cita. Nox longa. Noctes gelidae. Plebs infĭma.

Amnis limpĭdus. Axis ferrĕus. Cinis tepidus. Crinis fla-

vus. Crines rutĭli. Finis optatus. Ignis lucidus. Lapis durus. Lapĭdes aspĕri. Mensis ultimus. Piscis mutus. Vectis robustus.

Grex magnus. Apex summus. Rex potentissimus.

Mons altissimus. Fons clarus. Fontes frigidi. Pons ligneus. Dens acutus. Dentes validi. Rudens crassus.

Mare vastum. Maria alta. Poēma longum. Aenigma inexplicabile. Nomen infaustum. Nomĭna illustria. Caput crassum. Capĭta cana. Corpus obesum. Corpŏra formosa. Vas aureum.

Senectus morōsa. Salus insperata. Palus profunda. Palūdes vastae. Incus dura. Incūdes ferreae. Virtus eximia.

Decl. IV. Gradus tardus. Casus insolitus. Sensus acerrimus. Fructus matūrus.

Cornu rigĭdum. Cornua alta. Tonitru raucum. Gelu saevum.

Manus sinistra. Manus validae. Porticus spatiosa. Magnificae porticus. Acus acuta. Domus ampla.

Decl. V. Res magna. Spes certa. Species venusta. Glacies lubrĭca. Dies serena. Dies longissimi.

A Substantive depending upon another Substantive.

Coruscum lumen stellarum. Motus continuus siderum. Magna vis consuetudinis. Suavis recordatio praeteriti temporis. Scientia utilissimarum rerum. Hostilium armorum strepitus. Summa altissimorum montium cacumina. Altae procerarum arbŏrum radĭces. Acutissimus dentium molarium dolor. Fabrĭca vasorum fictilium. Rōmulus primus Romanorum rex. Antiquissimae decemvirorum leges. Acerrimum litterarum studium.

A Substantive depending upon an Adjective.

Dux belli peritissimus. Gens artium rudis. Puer praeceptorum immĕmor. Regio fecunda pecŏrum. Ingenium summarum rerum capax. Cista librorum plena. Homines laboris patientes.

Canis similis lupo. Lex omnibus utilis. Medicīna corpori salutaris. Disciplina pueris necessaria. Terra apta vitibus. Labor accommodatus viribus. Sermo omnibus auditoribus gratus. Patria mihi gratissima. Verba honestati contraria. Domus nostrae domui proxima. Mors omnibus communis. Vita periculis obnoxia.

I. EXERCISES IN SIMPLE SENTENCES.

SIMPLE PROPOSITIONS.

*Subject and Predicate.**

Terra est rotunda. Vera amicitia est sempiterna. Europa est peninsula. Fames et sitis sunt molestae. Plurimae stellae soles sunt. Ebrietas est vitanda.[1] Nemo semper felix est. Non omnes milites sunt fortes. Maximum animal terrestre est elĕphas.

Tarquinius Superbus fuit ultimus rex Romanorum. Roma aliquamdiu fuit caput orbis terrarum. Athenae[2] olim illustres fuerunt. Avarus nunquam erit contentus. Ubi fuisti, cessator? quare nec[3] tu nec frater adfuistis pompae? Estote attenti, tranquilli, diligentes.

Bonus laudatur, improbus vituperatur. Oves non ubique tondentur. In India gignuntur maxima animalia. Hyaenae plurimae gignuntur in Africa. In Africa nec cervi, nec apri, nec ursi inveniuntur. In Syria nigri leones reperiuntur. Apud Romanos mortui[4] plerumque cremabantur. Fortes laudabantur, ignavi vituperabuntur. Litterae[5] a Phoenicibus inventae sunt. Carthāgo, Corinthus, Numantia, et multae aliae urbes a Romanis eversae sunt.

Innocentia mea me consolabitur. Multa pollicēris, nihil exsequĕris. Aliter psittacus loquitur, aliter homo. Omnes moriemur; alii citius, alii[6] serius. Oculi saepe mentiuntur.

Usage of Prepositions.

Propĕro *ad* finem. Nulla habemus arma *contra* mortem. Nulla est firma amicitia *inter* malos. Galli[7] habitant *trans* Rhenum. Vir generosus mitis est *erga* victos. Comētae *ob* ra-

---

* Three things are required to constitute a proposition, i. e. the *subject*, the *predicate*, and the *copula*.

The *subject* is that concerning which any thing is affirmed or denied; so in the proposition, *Terra est rotunda*, *Terra* is the subject.

The *predicate* (prædĭco, āre,) is that which is affirmed or denied of the subject; so *rotunda* is the predicate of the above-mentioned proposition, since it is *declared* or *affirmed* of the earth that it is round.

The *copula* is the *form* of a proposition; it represents the act of the mind affirming, or denying, and accordingly joins or disjoins the *terms* or *ideas* which constitute the proposition, or, in other words, the *subject* and *predicate*: so, in the phrase quoted, *est* is the copula, since it joins the subject, *terra*, with the predicate, *rotunda*. In the phrase, *Vera amicitia est sempiterna*, *vera amicitia* is the subject, *sempiterna* the predicate, and *est* the copula. *Maximum animal terrestre est elephas*; *elephas* is the subject, *maximum animal terrestre*, the predicate, and *est* the *copula*.

ritatem et speciem sunt mirabiles. Servi parent *propter* metum, boni *propter* officium. Navigatio *juxta* litus saepe est periculosa.

Imperium populorum est *penes* reges et magistratus. Pisces *extra* aquam exspirant. Res *praeter* opinionem cecĭdit.[1]

Aquilae nidificant *in* rupibus et arboribus. Coccyx semper parit in alienis nidis. *In* senectute hebescunt sensus; visus, auditus debilitatur. Quidam homines nati sunt *cum* dentibus. Xerxes *cum* paucissimis militibus *ex* Graecia aufūgit. L. Metellus[2] primus elephantos *ex* primo Punico bello duxit in triumpho. Cantabit vacuus *coram* latrone viator. Sidera *ab* ortu *ad* occasum commeant. Britannia *a* Phoenicibus[3] inventa est. Apes *sine* rege esse non possunt. Infans nihil *sine* aliena ope potest. Dulce est *pro* patria mori. Venenum aliquando *pro* remedio fuit.

The Accusative governed by Verbs.

Crocodilus *ova* parit. Elephantus odit[4] *murem* et *suem*. Cameli diu *sitim* tolerant. Accipitres non edunt *corda* avium. Lanae nigrae *nullum colorem* bibunt. Senes minime sentiunt *morbos contagiosos*. Cervi *cornua* quotannis amittunt. Ceres *frumentum* invenit; Bacchus *vinum*; Mercurius *litteras*. Canes soli *dominos suos* bene novere;[5] soli *nomina sua* agnoscunt. Culices *acida*[6] petunt, ad *dulcia*[7] non advŏlant. Hystrix *aculeos* longe jaculatur. Crocodilus *dies* in terra agit, *noctes* in aqua.

The Accusative of Measure.

Rhinocĕros cornu habet in naso saepe *tres pedes* longum. Elĕphas altus est duodecim vel quatuordecim *pedes*. Quaedam bestiolae nonnisi *unum diem* vivunt. Quaedam animalia *totam hiēmem* dormiunt. Alexander Magnus tredĕcim *annos* regnavit.

The Genitive depending upon Substantives.

Infinita est multitudo *morborum*. *Litterarum* usus est antiquissimus. Asia et Africa greges *ferorum asinorum* alit. Magna est *linguarum* inter homines varietas. Innumerabilia sunt *mortis* signa, *salutis* paucissima. Cyrus *omnium* in exercitu suo *militum* nomina tenebat. Canis vestigia *ferarum* diligentissime scrutatur et persequitur. Nemo non[8] benignus est *sui* judex. *Leonum* animi index cauda.[9]

The Genitive depending upon Adjectives.

Mens *criminis* conscia tranquilla esse non potest. Inter veteres belli duces Caesar *rei militaris* peritissimus fuit. Germania *frugum* et *vini* fertilissima est. Non semper *veritatis* satis amantes sumus. Veteres Romani *gloriae* fuerunt cupidissimi.

The Genitive depending upon Verbs, and answering to the question, where?

In omni officio *maximi*[1] aestimatur dantis voluntas.

Pergămi[2] quot annis publicum spectaculum gallorum pugnantium edebatur.

Pausanias, rex Spartae, *proditionis* accusabatur. Cur tam probum virum insimulas *furti?* Alcibiades absens *capitis* est damnatus. Nemo se *timoris* prorsus absolvere poterit.

The Dative answering to the question, to whom? and to what?

Antiquissimus hominibus specus erant[3] pro domibus. *Nulli animali* memoria major est quam *cani.* Gallinacei *leonibus* terrori sunt.[4] *Homini* plurima ex homine fiunt mala. *Avaro* omnia desunt, *inŏpi* pauca, *sapienti* nihil. Ira *insaniae* est simillima.

The Dative answering to the question, for what?

Non *nobis*[5] tantum vivimus, sed *patriae* etiam et *amicis.* Prospicite *patriae*, consulite *amicis*, parcite *hostibus.* Homo furiosus ne *liberis* quidem[6] parcit *suis.* Nec *sacris* nec *profanis*[7] milites pepercerunt.[8] Deus *rebus humanis* consulit. Vir sapiens et probus invĭdet[9] *nemini.*

The Ablative answering to the question, by what means? wherewith?

Apri in morbis sibi medentur[10] *hedera.* Pyrrhus rex *tactu* pollicis in dextro pede lienosis medebatur. *Oleo* insecta exanimantur. Ferae domantur *fame* atque *verberibus.* Anacreon poëta *acĭno* uvae passae exstinctus est. Crocodilus *pelle durissima* contra omnes ictus munĭtur. In Africa elephanti capiuntur *foveis.* Elephanti spirant, bibunt, odorantur *proboscĭde.* Populi quidam vescuntur[11] *locustis.* Dentes *usu* atteruntur, sed *igne* non cremantur. Mures alpīni *binis pedibus* gradiuntur, prioribus,[12] ut manibus, utuntur.[13]

The Ablative answering to the question, wherein?

Leaenae *juba* carent.[1] Leones facile per triduum *cibo* carent. Elephanti maxime *amnibus* gaudent. Apes *tinnitu* aeris gaudent, eoque convocantur.

The Ablative of time answering to the question, when?

Quibusdam in locis anseres bis *anno* velluntur. Color lusciniarum *autumno* mutatur. *Hieme* ursi in antris dormiunt. Nemo mortalium *omnibus horis* sapit. Primōres dentes *septimo mense* gignuntur; *septimo anno* iidem decĭdunt. Antipăter Sidonius, poëta, quotannis, *die natali suo*, febre corripiebatur.

The Ablative of Quality.

Reperiuntur interdum cervi *candido colore*. Hippopotamus in Nilo habitat, magna bellua, *ungulis binis*, *dorso*, *juba*, *hinnītu*, ut equus, *rostro resīmo*, *cauda* et *dentibus*, ut aper. Halcŷon est *colore cyanĕo*, *collo gracĭli* et *procēro*. Genus quoddam earum *magnitudine* distinguitur et *cantu*.

The Ablative of price answering to the question, for what?

Isocrătes orator unam orationem *viginti talentis* vendidit. Luscinia candida *sex sestertiis* Romae venit.[2] *Multo* plerumque *sanguine* constat victoria. Victi saepe pācem *ingenti pecunia* emunt. Tranquillitas animi neque *auro* neque *gemmis* est venalis.

The Ablative of names of towns answering to the question, where?

Carthagine[3] interdum pueri diis immolabantur; *Spartae* pueri ad aram Dianae loris caedebantur. *Aulĭde* Iphigenīa, Agamemnŏnis filia, Dianae caesa est. Alexander *Babylōne* mortuus est. *Athenis* eloquentia et philosophia nata est. *Thebis* Pindarus floruit, *Syracusis* Theocritus. *Sardibus* regnavit Croesus. *Gadibus* in Hispania antiquissimis temporibus Phoenīces habitabant.

The Infinitive as the subject.

Errare est humanum. Turpe est, beneficium *repetĕre*.[4] Beneficiis gratiam non *referre* etiam turpius est. Parentes non *amare* est impium. Laus est, bonis *placere*. Melius est, sero *discere* quam nunquam.

The Infinitive as the complement of the Predicates.

Malo tacere quam temere loqui. Non poenae metus, sed virtutis amor nos ab injuria *prohibere debet.* Et *prodesse*[1] *volunt* et delectare poëtae. Vir prudens nihil *solet* temere neque *dicere* neque *facere.*

The Infinitive as an Accusative governed by a Verb.

Equo *vehi*[2] Bellerŏphon invēnit; ex equo *pugnare*[3] Thessăli. Aurum vestibus *intexere*, invenit rex Attălus. Romae elephantes docebantur per funes *incedere.*

The Nominative of the Gerund, or the Gerund of necessity.

Semper *pugnandum est* contra cupiditates et lubidinem. Juveni[4] *parandum est*, seni *utendum.* Apud Pythagoram discipulis per quinque annos *tacendum* erat. Senibus quoque *discendum est.*

The Genitive of the Gerund.

Honestissima est contentio beneficia beneficiis *vincendi.*[5] Parsimonia est scientia *vitandi* sumtus supervacuos, et re familiari recte *utendi.*[6] Justitia est constans et perpetua voluntas suum cuique *tribuendi.*

Homo natura[7] est cupidus nova[8] semper *videndi* et *audiendi.* Ut equus[9] *equitandi* imperito ita libri sunt inutiles ignaro *legendi.*

The Dative of the Gerund.

Olim calămus adhibebatur *scribendo*, hodie pennae[10] anserum. Aqua marina inutilis est *bibendo.* Culex habet telum et[11] *fodiendo* et *sorbendo* idoneum.

The Accusative of the Gerund.

Non omnes aequaliter *ad discendum* propensi sumus. Ut equus ad cursum, bos *ad arandum*, canis *ad indagandum*, sic homo natus est *ad intelligendum* et *ad agendum.* Puerorum ingenium primum se *inter lŭdendum* apĕrit.

The Ablative of the Gerund.

Funem abrumpes nimium *tendendo.* *Docendo* discimus. Mens alitur *discendo* et *cogitando.* Lacedaemonii exerce-

bant juvenes *venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando.*

In jocando adhibenda est moderatio. Virtus cernitur *in agendo.* Poenis mali *a peccando* absterrentur. *In legendo* apum prudentiam imitari debemus.

Exercises upon the Verbs, Miscellaneous Sentences.

Festīna lente. Ne temere jurato. Sapere aude. Pueri parento majoribus. Nosce te ipsum. Ne repellite salubria consilia. Fatēre si quid[1] peccavisti. Loquĕre rarius. Imitare bonos. Obsequĕre prudentibus. Ne quasvis injurias ulciscimini.

Si probitatem amabis, et ipse[2] a probis amaberis. Mox nabis sine cortice. In quibus sedibus habitabimus post mortem? Sequĕre me, nec errabis. Qui se ipsum non coërcet, carcere et vinculis coërcebitur. Virtus neque incendio, neque naufragio amittetur. Tempus ruit, et cito ultima hora superveniet. Improbum et scelestum mala conscientia nunquam non comitabitur et cruciabit. Bonus bonos imitabitur, eorumque vestigia sequetur.

Surdum et stupidum docendo operam perdidisti. Recte judicas, et, ut veteres loquuntur, rem acu tetigisti. Stultos artibus tuis fefellisti, prudentes non falles. Romani antiquissimis temporibus foedera cum Carthaginiensibus pepigerunt. Res male cedidit, non vestra culpa, sed fortunae casu.

Catilīna ausus est consulatum vi et armis petere. Alexander nunquam non fortunae et fortitudini suae confisus est. Frustra inimici caede gavisus es. Captivi apud Romanos sub hasta[3] venierunt. Pueri non morigĕri vapulant. Gigantes coelum armis petere ausi sunt.

THE COMBINING SEVERAL PROPOSITIONS.

By Comparison.

Canes Indici grandiores sunt, quam caeteri. Nullum malum est vehementius et importunius quam invidia. Praestat mori quam servire. In montibus aër purior est et tenuior quam in vallibus. Aestate dies sunt longiores quam hieme. Margaritarum Indicarum color est purior, quam reliquarum omnium.

Abridged Comparison.

Nihil est *clementia*[4] divinius. Aurum gravius est *argento*

Adamas durior est *ferro;* ferrum durius *caeteris metallis.* Ut animus *corpore* est nobilior, ita virtus praestantior est *robore* et *externa specie.* Quanto honesta mors *turpi vita* est potior!

Apposition.

Carthāgo atque Corinthus, opulentissimae urbes,[1] eodem anno a Romanis eversae sunt. Quam brevi tempore populi Romani, omnium gentium victoris, libertas fracta est! Lacedaemonios, fortissimos mortalium, non ferrum sed aurum vicit. Athenas, artium olim et litterarum domicilium, philosophiae et eloquentiae altrices,[2] barbari everterunt. Pythagŏras discipulis suis nullam aliam rem magis commendabat, quam frugalitatem, caeterarum virtutum genitricem. Thebae,[3] Boeotiae caput, sub monte Cithaerone sitae sunt.

Sentences subjoined by means of the relative Pronoun.

Non omnis ager, *qui* seritur, fert fruges. Psittacus, *quem* India mittit, reddit verba, *quae* accepit. Achilles, *cujus* res gestas Homeri carmina celēbrant, ad Hellespontum sepultus est. Myrmecĭdes quidam quadrīgam fecit ex ebore, *quam* musca alis integebat. *Qui* bonis non recte utitur,[4] ei bona mala fiunt. *Qui* non facit, *quod*[5] spopondit, mendax vocatur et perfĭdus.

By Adverbs of time.

Ager, *quum* plures annos quievit, uberiores fructus efferre solet. Gaudemus, *quum* res videmus insolitas, quas antea non videramus. Nunquam non doleo, *quando* horam inani sermone perdidi. Ceres frumenta invēnit, *quum* antea homines glandibus vescerentur. Nave primus in Graeciam Danăus advēnit, *quum* antea ratibus navigaretur. Alexander, rex Macedoniae, *quum* Thebas cepisset, Pindări vatis familiae pepercit. Magna debemus suscipere, *dum* vires suppĕtunt. Cervi, *quamdiu* cornibus carent,[7] noctu ad pabula procēdunt.

By Conjunctions denoting a cause or reason.

Frustra tibi vires elephanti optas, *quum* ratione sis praeditus, qua vel[8] elephantus domatur. *Quum* sit in hominibus ratio et prudentia, deus haec[9] procul dubio etiam majora habet. Plato Socratis sermones litteris mandavit, *quum* ipse Socrates litteram reliquisset nullam.

By Conjunctions denoting a purpose and a consequence.

Tanta est in India ubertas soli, *ut* sub una ficu turmae equitum condantur.[1] Ursi per hiemem tam gravi somno premuntur, *ut* ne vulneribus quidem[2] excitentur. Delphini tanta interdum vi e mari exsiliunt, *ut* vela navium transvŏlent. In India serpentes ad tantam magnitudinem adolescunt, *ut* integros hauriant cervos taurosque. Fac, *ut* homines animum tuum pluris faciant, quam omnia, quae[3] illis tribuere possis. Unde factum est, *ut* tantas divitias tam cito amiseris? Nemo unquam tam potens fuit, *ut* nullius auxilio egeret.

Note.—The relative pronoun is also used in the following manner, as a substitute for *ut*. Nulla terra tam fertilis est, quae omnia largiatur. Nulla gens tam fera est, tamque barbara, quae non habeat sensum religionis. Bestiis deus motum et sensum dedit, quo vitam tuerentur; hominibus rationem addidit, qua regerentur appetītus.

Alexander edixit, *ne* quis[4] ipsum praeter Apellem pingeret. Pythagorēis interdictum fuit, *ne* fabis vescerentur. Oculi palpĕbris sunt muniti, *ne* quid incĭdat. Nihil fere tam reconditum est, *quin*[5] quaerendo inveniri possit. Nunquam tam mane egredior, neque tam vespĕri domum revertor, *quin*[6] te in fundo conspĭcer fodere, aut arare, aut aliquid facere. Xerxes non dubitabat, *quin*[7] copiis suis Graecos facile superaturus esset.

By interrogatives.

Quaeritur unus*ne*[8] sit mundus, *an* plures. Disputabant veteres philosophi, casu*ne* factus sit mundus, *an* mente divina. Augustus cum amicis suis consultabat, *utrum* imperium servaret, *an* deponeret. *Quis* numerare potest, *quoties* per totam vitam lacrymas fuderit; aut *quot* morbis homo sit obnoxius?

Fortunae munera, honores, divitiae, forma, *quamdiu* nobis adfutura sint, nullo modo sciri potest. Moriendum certe est; sed *quo* te loco mors exspectet, incertum. Gentes, quae ignorant, *qua de caussa*,[9] Sol Lunaque deficiat, defectum horum luminum pro malo omine habent.

congregantur. Canis venaticus venatorem *comitantem* loro ad ferarum lustra trahit. Beneficium non in eo consistit, quod datur, sed in ipso *dantis* animo. Struthiocamēli Africi altitudinem equitis equo *insidentis* excedunt. Interdum delphini conspecti sunt, defunctum delphinum *portantes*, et quasi funus *agentes*.

Multa, quae de infantibus ferarum lacte *nutritis* produntur, fabulosa videntur. Homo quidam, lapide *ictus*, oblitus est litteras; alius ex praealto tecto *lapsus*, matris et affinium nomina dicere non potuit. L. Siccius Dentatus, centies vicies *proeliatus*,[1] quinquaginta quinque cicatrices adverso corpore[2] habebat, nullam in tergo.

Leones *satiati*[3] innoxii sunt. Elephantes amnem *transituri*[4] minimos praemittunt. Pavo *laudatus* gemmatam pandit caudam. Gallus, ab adversario *victus*, occultatur silens et servitium patitur. Leo *vulneratus* percussorem intelligit, et in quantalibet multitudine appĕtit. Olōres iter *facientes* colla imponunt praecedentibus, fessos duces ad terga recipiunt.[5] Testudines in mari *degentes* conchyliis vivunt; in terram *egressae*, herbis. Sarmătae longinqua itinera *facturi*, inedia pridie praepărant equos, potum exiguum *impertientes*, atque ita longissimam viam continuo cursu conficiunt. Elephanti, equitatu *circumventi*, infirmos aut fessos aut vulneratos in medium agmen recipiunt. Multos *morientes* cura sepulturae angit.

Danăus ex Aegypto in Graeciam *advectus*, rex Argivorum factus est. Alexander Bucephălo equo *defuncto* duxit exsequias, urbemque Bucephalon *appellatam* ejus tumulo circumdĕdit.[6] P. Catienus Plotinus patronum[7] adeo dilexit, ut, heres omnibus ejus bonis *institutus*,[8] in rogum ejus se conjiceret et concremaretur. Erinacei *volutati* super poma, humi *jacentia*, illa spinis *affixa* in cavas arbŏres portant.

Beneficia non in vulgus *effundēnda* sunt. Indicum mare testudines tantae magnitudinis[9] alit, ut singulae tugurio *tegendo*[10] sufficiant. Leones, senes facti, appĕtunt homines, quoniam ad *persequendas* feras vires non suppetunt. Struthiocamelis ungulae sunt cervīnis similes, *comprehendendis* lapidibus utiles, quos in fuga contra sequentes jaculantur.

Ablative absolute.

Senescente Luna, ostrea, tabescere dicuntur, *crescente eādem* gliscunt. Caepe contra, *Luna deficiente*, revirescere, adolescente, inarescere dicitur. *Geryŏne interemto*, Hercules in Italiam venit. *Sabinis debellatis*, Tarquinius triumphans Romam rediit. *Jasŏne Lycio interfecto*, canis, quem habebat, cibum

capere noluit, inediaque confectus est. Regis Lysimăchi canis, *corpore* domini accensae pyrae *imposito*, in flammas se conjecit. *Nicomēde rege interfecto*, equus ejus vitam finivit inedia. Chilo, unus e septem sapientibus, *filio victore*[1] Olympiae, prae gaudio expiravit. Apes, *aculeo amisso*, statim emŏri existimantur. Eaedam, *rege interfecto* aut morbo *consumto*, fame luctuque moriuntur. Pavo, *cauaa amissa* pudibundus ac moerens quaerit latĕbram. Erinacei, ubi sensēre venantem, *contracto ore pedibusque* convolvuntur[2] in formam pilae, ne quid comprehendi possit praeter aculeos. Anaxagŏram *nuntiata morte* filii dixisse ferunt: sciebam me genuisse mortalem.

II. FABLES FROM ÆSOP.

1. *Accipiter et Columbae.*

Columbae milvii metu[1] accipitrem rogaverunt, ut eas defenderet. Ille annuit. At in columbare receptus,[2] uno die majorem stragem edidit, quam milvius longo tempore potuisset edere.—Fabula docet, malorum patrocinium vitandum esse.

2. *Mus et Milvius.*

Milvius laqueis irretitus musculum exoravit,[3] ut eum corrosis plagis[4] liberaret. Quo facto,[5] milvius liberatus murem arripuit et devoravit.—Haec fabula ostendit, quam gratiam mali pro beneficiis reddere soleant.[6]

3. *Hoedus et Lupus.*

Hoedus stans in tecto domūs lupo praetereunti[7] maledixit. Cui[8] lupus, *non tu*, inquit, *sed tectum mihi maledicit.*[9]—Saepe locus et tempus homines timidos audaces reddit.

4. *Grus et Pavo.*

Pavo coram grue pennas suas explicans, *quanta est*, inquit, *formositas mea et tua deformitas!* At grus evŏlans, *et quanta est*, inquit, *levitas mea et tua tarditas!*—Monet haec fabula, ne ob aliquod bonum, quod nobis natura tribuit, alios contemnamus, quibus natura alia et fortasse majora dedit.

5. *Pavo.*

Pavo graviter conquerebatur apud Junōnem,[10] dominam suam, quod[11] vocis suavitas sibi negata esset,[12] dum luscinia, avis tam parum decōra, cantu excellat.[12] Cui Juno, *et merito*, inquit; *nŏn enim*[13] *omnia bona in unum conferri oportuit.*

6. *Anseres et Grues.*

In eodem quondam prato pascebantur anseres et grues. Adveniente domino prati,[14] grues facile avolabant; sed anseres, im-

pediti corporis gravitate, deprehensi et mactati sunt.—Sic saepe pauperes cum potentioribus in eodem crimine deprehensi, soli dant poenam, dum illi salvi evādunt.

7. *Capra et Lupus.*

Lupus capram in alta rupe stantem conspicatus, *cur non*, inquit, *relinquis nuda illa et sterilia loca, et huc descendis in herbidos campos, qui tibi laetum pabulum offerunt?* Cui[1] respondit capra: *mihi non est in animo,*[2] *dulcia tutis*[3] *praeponere.*

8. *Venter et Membra.*

Membra quondam dicebant ventri: *nosne*[4] *te semper ministerio nostro alemus, dum ipse summo otio fruĕris?*[5] *Non faciemus.* Dum igitur ventri cibum subdūcunt, corpus debilitatur, et membra sero invidiae suae poenituit.[6]

9. *Canis et Boves.*

Canis jacebat in praesēpi bovesque latrando[7] a pabulo arcebat. Cui unus boum, *quanta ista*, inquit, *invidia est, quod*[8] *non patĕris, ut eo cibo vescamur,*[9] *quem tu ipse capere nec velis nec possis!*[10]—Haec fabula invidiae indolem declārat.

10. *Vulpes et Leo.*

Vulpes, quae nunquam leonem viderat, quum ei forte occurrisset leo, ita est perterrita, ut paene moreretur formidine. Eundem[11] conspicata[12] iterum, timuit quidem, sed nequaquam ut antea. Tertio illi obviam facta,[12] ausa est[13] etiam propius accedere, eumque allŏqui.

11. *Cancri.*

Cancer dicebat filio: *mi fili, ne sic obliquis semper gressibus incede, sed recta via*[14] *perge.* Cui[15] ille, *mi pater*, respondit, *libenter tuis praeceptis obsĕquar, si te prius idem facientem*[16] *videro.*[17]—Docet haec fabula, adolescentiam nulla re magis, quam exemplis, instrui.

12. *Boves.*

In eodem prato pascebantur tres boves in maxima concordia, et sic[18] ab omni ferarum incursione tuti erant. Sed dissidio inter illos orto,[19] singuli a feris petiti et laniati sunt.—Fabula docet, quantum boni[20] sit[21] concordia.

13. *Asinus.*

Asinus, pelle leonis indutus, territabat homines et bestias, tanquam leo esset.[1] Sed forte, dum se celerius movet, aures eminebant: unde agnitus,[2] in pistrinum abductus est, ubi poenas petulantiae dedit.—Haec fabula stolidos notat, qui immeritis honoribus superbiunt.

14. *Mulier et Gallina.*

Mulier quaedam habebat gallīnam, quae ei quotidie ovum pariebat aureum. Hinc suspicari coepit, illam[3] auri massam intus celare, et gallinam occīdit. Sed nihil in ea repĕrit, nisi quod in aliis gallinis reperiri solet. Itaque dum majoribus divitiis inhiabat, etiam minores perdidit.

15. *Viatores et Asinus.*

Duo qui una[4] iter faciebant, asinum oberrantem in solitudine conspicati, accurrunt laeti,[5] et uterque eum sibi vindicare coepit, quod eum prior[5] conspexisset.[6] Dum vero contendunt[7] et rixantur, nec a verberibus abstinent, asinus aufŭgit, et neuter eo potitur.

16. *Corvus et Lupi.*

Corvus partem praedae petebat a lupis, quod eos totum diem comitatus esset.[8] Cui illi, *non tu nos*, inquiunt, *sed praedam sectatus es, idque*[9] *eo animo ut ne nostris quidem corporibus*[10] *parceres, si exanimarentur.*

Merito in actionibus non spectatur, quid fiat,[11] sed quo animo fiat.

17. *Pastores et Lupus.*

Pastores caesa ove convivium celebrabant. Quod quum[12] lupus cerneret, *ego*, inquit, *si agnum rapuissem, quantus tumultus fieret! At isti impune ovem comĕdunt!* Tum unus illorum, *nos enim*[13] inquit, *nostra, non aliena ove epulamur.*

18. *Carbonarius et Fullo.*

Carbonarius, qui spatiosam habebat domum, invitavit fullonem, ut ad se commigraret. Ille respondit: *quaenam inter nos esse possit societas? quum tu vestes, quas ego nitidas*[14] *red-*

didissem,[1] *fuligine et maculis inquinaturus esses.*—Haec fabula docet, dissimilia non debere conjungi.

19. *Tubĭcen.*

Tubĭcen ab hostibus captus, *ne me,* inquit, *interficite;*[2] *nam inermis sum, neque quidquam habeo praeter hanc tubam.* At hostes, *propter hoc ipsum,*[3] inquiunt, *te interimemus; quod, quum ipse pugnandi sis imperitus,*[4] *alios ad pugnam incitare soles.*—Fabula docet, non solum malefĭcos esse puniendos, sed etiam eos, qui alios ad male faciendum irrītent.[5]

20. *Accipitres et Columbae.*

Accipitres quondam acerrime inter se belligerabant. Hos columbae in gratiam reducere conatae effecerunt, ut illi pacem inter se facerent. Qua firmata, accipitres vim suam in ipsas columbas converterunt.—Haec fabula docet, potentiorum discordias imbecillioribus saepe prodesse.

21. *Mulier et Gallina.*

Mulier vidua gallinam habebat, quae ei quotidie unum ovum pariebat. Illa existimabat, si gallinam diligentius saginaret, fore, ut illa bina aut terna[6] ova quotidie parĕret.[7] Quum autem cibo superfluo gallina pinguis esset facta, plane ova parere desiit.—Haec fabula docet, avaritiam saepe damnosam esse.

22. *Vulpes et Uva.*

Vulpes uvam in vite conspicata, ad illam subsiliit omnium virium suarum contentiŏne, si eam forte attingere posset. Tandem defatigata inani labore, discedens dixit: *at*[8] *nunc etiam*[9] *acerbae sunt, nec eas in via repertas tollerem.* Haec fabula docet, multos ea contemnere, quae[10] se assĕqui posse despērent.[11]

23. *Vulpes et Leaena.*

Vulpes leaenam exprobrabat, quod non nisi unum catulum pareret. Huic dicitur respondisse,[12] *unum, sed leonem.*—Haec fabula, non copiam, sed bonitatem rerum aestimandam esse, docet.

24. *Mures.*

Mures aliquando habuerunt consilium, quomodo a fele caverent.[1] Multis aliis propositis,[2] omnibus placuit, ut ei tintinnabulum annecteretur: sic enim ipsos,[3] sonitu admonitos, eam fugere posse. Sed quum jam inter mures quaereretur, qui feli tintinnabulum annecteret, nemo repertus est.—Fabula docet, in suadendo plurimos esse audaces, sed in ipso periculo timidos.

25. *Canis Mordax.*

Cani mordaci paterfamilias jussit tintinnabulum ex aere appendi,[4] ut omnes eum cavere possent. Ille vero aeris tinnītu gaudebat, et quāsi virtutis suae praemium esset,[5] alios canes prae se contemnere coepit. Cui unus senior, *o te stolidum,*[6] inquit, *qui ignorare videris,*[7] *isto tinnitu pravitatem morum tuorum indicari!*—Haec fabula scripta est in eos, qui sibi insignibus flagitiorum suorum placent.[8]

26. *Canis et Lupis.*

Lupus canem videns bene saginatum, *quanta est,* inquit, *felicitas tua! Tu, ut videtur, laute vivis, at ego fame enĕcor.* Tum canis, *licet,* inquit, *mecum in urbem venias et eadem felicitate fruaris.*[9] Lupus conditionem accepit. Dum una eunt, animadvertit lupus in collo canis attritos pilos. *Quid hoc est?* inquit. *Num jugum sustines? cervix enim tua tota est glabra. Nihil est,* canis respondit. *Sed interdiu me allĭgant, ut noctu sim vigilantior; atque haec sunt vestigia collaris, quod cervīci circumdări solet.* Tum lupus, *vale,* inquit, *amice! nihil moror*[10] *felicitatem servitute emtam!*—Haec fabula docet, liberis nullum commodum tanti esse,[11] quod servitutis calamitatem compensare possit.[12]

27. *Lupus et Grus.*

In faucibus lupi os inhaeserat. Mercede igitur condūcit[13] gruem, qui illud extrăhat.[14] Hoc grus longitudine colli facile effēcit. Quum autem mercedem postularet, subrīdens lupus et dentibus infrendens, *num tibi,* inquit, *parva merces videtur, quod caput incolume ex lupi faucibus extraxisti?*

audivisset. At illae, diuturno labore fatigatae, statuerunt gallum interficere. Quo facto,[1] deteriore conditione[2] quam prius esse coeperunt. Nam domina, de hora noctis incerta,[3] nunc famulas saepe jam prima nocte[4] excitabat.

33. *Testudo et Aquila.*

Testudo aquilam magnopere orabat, ut sese[5] volare[6] doceret. Aquila ei ostendebat quidem, eam rem petere naturae suae contrariam; sed illa nihilo minus instabat, et obsecrabat aquilam, ut se volucrem facere vellet. Itaque ungulis arreptam aquila sustulit[7] in sublime, et demisit illam, ut per aërem ferretur. Tum in saxa incidens comminuta interiit.[8] Haec fabula docet, multos cupiditatibus suis occoecatos consilia prudentiorum respuere, et in exitium ruere stultitia sua.

34. *Luscinia et Accipiter.*

Accipiter esuriens rapuit lusciniam. Quae quum[9] intelligeret, sibi mortem impendēre, ad preces conversa, orat accipitrem, *ne se*[10] *perdat sine causa. Se enim avidissimum ventrem illius non posse explere, et suadēre adeo, ut grandiores aliquas volŭcres venetur.*[11] Cui accipiter,[12] *insanirem*, inquit, *si partam praedam*[13] *amittere, et incerta pro certis sectari vellem.*

35. *Senex et Mors.*

Senex in silva ligna cecīderat, iisque sublatis[14] domum[15] redire coepit. Quum aliquantum viae[16] progressus esset, et onere et[17] via defatigatus,[18] fascem deposuit, et secum aetatis et inopiae mala contemplatus, Mortem clara voce invocat, quae ipsum ab omnibus his malis liberet.[19] Tum Mors, senis precibus auditis subito adstitit, et quid vellet, percunctatur. At Senex, quem jam votorum suorum poenitebat,[20] *nihil*, inquit, *sed requiro,*[21] *qui onus paululum allevet,*[22] *dum ego rursus subeo.*

36. *Inimici.*

In eādam navi vehebantur duo, qui inter se capitalia odia exercebant. Unus eorum in prora, alter in puppi residebat. Orta tempestate ingenti, quum omnes de vita desperarent, interrogat is, qui in puppi sedebat, gubernatorem, *utram par-*

tem navis prius submersum iri[1] *existimaret.*[2] Cui gubernator, *proram*, respondit. Tum ille, *jam mors mihi non molesta est, quum inimici mei mortem adspecturus sim.*

37. *Hinnuleus et Cervus.*

Hinnuleus quondam patrem suum his verbis interrogasse dicitur: *Mi pater, quum multo sis major canibus*[3] *et tam ardua cornua habeas, quibus a te vim propulsare possis,*[4] *qui fit,*[5] *ut canes tantopere metuas?* Ibi cervus ridens, *mi nate,* inquit, *vera memoras; mihi tamen, nescio quo pacto, semper accidit, ut, audita canum voce, in fugam statim convertar.*—Haec fabula docet, natura formidolosos[6] nullis rationibus fortes reddi posse.

38. *Hoedus et Lupus.*

Quum hoedus evasisset lupum et confugisset in caulam ovium, *quid tu, stulte,* inquit ille,[7] *hic te salvum futurum*[8] *speras, ubi*[9] *quotidie pecudes rapi et diis mactari videas? Non curo,* inquit hoedus; *nam si moriendum sit,*[10] *quanto praeclarius mihi erit, meo cruore aspergi*[11] *aras deorum immortalium, quam irrigari siccas lupi fauces.*—Haec fabula docet, bonos mortem, quae omnibus imminet, non timere, si cum honestate et laude conjuncta sit.

39. *Corvus et Vulpes.*

Corvus alicunde caseum rapuerat, et cum illo in altam arborem subvolarat. Vulpecula, illum caseum appetens, corvum blandis verbis adoritur; quumque primum formam ejus pennarumque nitorem laudasset, *pol,*[12] inquit, *te avium regem esse dicerem, si cantus pulchritudini tuae responderet.* Tum ille, laudibus vulpis inflatus, etiam cantu se valere demonstrare voluit. Ita vero e rostro aperto caseus delapsus est, quem vulpes arreptum devoravit.[13]—Haec fabula docet, vitandas esse adulatorum voces, qui blanditiis suis nobis insidiantur.

40. *Leo.*

Societatem junxerant Leo, Juvenca, Capra, Ovis. Praeda autem, quam ceperant, in quatuor partes aequales divisa,[14] leo, prima, ait, mea est; debetur enim haec praestantiae meae. Tollam et secundam, quam meretur robur meum.

Tertiam vindicat sibi egregius labor meus.[1] Quartam qui sibi arrogare voluerit,[2] is sciat, se habiturum me inimicum sibi. Quid facerent imbecilles bestiae, aut quae[3] sibi leonem infestum habere vellet?

41. *Mus et Rusticus.*

Mus a Rustico in caricarum acervo deprehensus, tam acri morsu ejus digitos vulneravit, ut ille eum dimitteret, dicens: nihil, mehercule, tam pusillum est, quod de salute desperare debeat,[4] modo[5] se defendere et vim depulsare velit.

42. *Vultur et Aviculae.*

Vultur aliquando aviculas invitavit ad convivium, quod illis daturus esset[6] die natali suo. Quae[7] quum ad tempus adessent, eas carpere et occidere, epulasque sibi de invitatis instruere coepit.

43. *Ranae.*

Ranae laetabantur, quum nuntiatum esset, Solem uxorem duxisse. Sed una caeteris[8] prudentior, *O vos stolidos!*[9] inquit; *nonne meministis, quantopere vos saepe unius Solis aestus excruciet?*[10] *Quid igitur fiet, quum liberos etiam procreaverit?*

44. *Ranae et Jupiter.*

Ranae aliquando regem sibi a Jove petivisse dicuntur.[11] Quarum[12] ille precibus exoratus trabem ingentem in lacum dejecit. Ranae sonitu perterritae primum refugere, deinde vero, trabem in aqua natantem conspicatae, magno cum contemtu in ea consederunt aliumque sibi novis clamoribus regem expetiverunt. Tum Jupiter, earum stultitiam punitu-rus,[13] hydrum illis misit, a quo[14] quum plurimae captae perirent, sero eas stolidarum precum poenitur.[15]

45. *Lupi et Pastores.*

Quum Philippus, rex Macedoniae, cum Atheniensibus foedus initurus esset, ea conditione, ut oratores suos[16] ipsi traderent, Demosthenes[17] populo narravit fabulam, qua[18] iis callidum regis consilium ante oculos poneret. Dixit enim, lupos quondam cum pastoribus pactos esse, se nunquam in posterum greges esse impugnaturos, si canes ipsis dederen-

tur. Placuisse stultis pastoribus conditionem; sed quum lupi caulas excubiis nudatas vidissent, eos impetu facto[1] omnem gregem dilaniasse.

46. *Puer mendax.*

Puer oves pascens crebro per lusum magnis clamoribus opem rusticorum imploraveret, lupos gregem suum aggressos esse fingens. Saepe autem frustratus[2] eos, qui auxilium laturi advenerant, tandem lupo revēra irruente[3] multis cum lacrymis vicinos orare coepit,[4] ut sibi et gregi subvenirent. At illi eum pariter ut antea ludere existimantes, preces ejus et lacrymas neglexerunt, ita ut lupus libere in oves grassaretur, plurimasque earum dilaniaret.

47. *Corvus.*

Corvus, qui caseum forte repererat, gaudium alta voce significavit. Quo sono[5] allecti[6] plures corvi famelici advolaverunt, impetuque in illum facto,[7] opīmam ei dapem eripuerunt.

48. *Cornix et Columba.*

Cornix columbae gratulabatur foecunditatem, quod singulis mensibus pullos excluderet. At illa, ne mei, inquit, doloris causam commemores. Nam quos pullos edūco, eos[8] dominus raptos aut ipse comĕdit, aut aliis comedendos[9] vendit. Ita mihi mea foecunditas novum semper luctum parit.

49. *Leo, Asinus et Vulpes.*

Vulpes, asinus et leo venatum[10] iverant. Ampla praeda facta, leo asinum illam partiri jubet. Qui quum singulis singulas partes poneret aequales, leo eum correptum[11] dilaniavit, et vulpeculae partiendi negotium[12] tribuit. Illa astutior,[13] leoni partem maximam apposuit, sibi vix minimam reservans particulam. Tum leo subrīdens ejus prudentiam laudare,[14] et unde hoc didicerit,[15] interrogare coepit. Et vulpes, Hujus[16] me, inquit, calamitas docuit, quid minores potentioribus debeant.

50. *Muscae.*

Effusa mellis copia est: Muscae advŏlant
Pascuntur. At Mox impeditis cruribus
Revolare nequeunt. Heu miseram, inquiunt, vicem![1]
Cibus iste blandus, qui pellexit suaviter,
Nunc fraudulentus[2] quam crudeliter necat!
Perfida voluptas[3] fabula hac depingitur.

51. *Cancer.*

Mare cancer olim deseruit, in littore
Pascendi cupidus.[4] Vulpes hunc simul[5] adspici
Jejuna, simul[5] accurrit, et praedam capit.
Nae, dixit ille, jure plector, qui,[6] salo[7]
Quum fuerim natus, voluerim solo[7] ingredi!
Suus unicuique praefinitus est locus,
Quem praeterire sine periclo non licet.

52. *Culex et Taurus.*

In cornu tauri parvulus quondam culex
Consedit; seque[8] dixit, mole si sua
Eum gravaret, avolaturum illico.
At ille:[9] nec[10] te considentem[11] senseram.

III. MYTHOLOGICAL EXTRACTS.

---

1. Cadmus, Agenŏris filius, quod dracōnem,[1] Martis filium, fontis cujusdam in Boeotia custodem, occiderat, omnem suam prolem[2] interemtam vidit, et ipse cum Harmonĭa, uxore sua, in Illyriam[3] fugit, ubi ambo in dracones conversi sunt.

2. Amȳcus, Neptuni filius, rex Bebryciae,[4] omnes, qui in ejus regna venissent, cogebat caestibus secum contendere, et victos occidebat. Hic quum Argonautas[5] ad certamen provocasset, Pollux[6] cum eo contendit et eum interfecit.

3. Otos et Ephialtes, Aloeï filii, mira magnitudine[7] fuisse dicuntur. Nam singulis mensibus novem digitis[8] crescebant. Itaque quum essent annorum[9] novem, in coelum ascendere sunt conati. Huc sibi aditum sic faciebant, ut montem Ossam super Pelion[10] ponerent, aliosque praeterea montes exstruerent. Sed Apollinis sagittis interemti sunt.

4. Daedălus Euphēmi filius, artifex peritissimus, ob caedem Athenis[11] commissam, in Cretam abiit ad regem Minōëm. Ibi labyrinthum[12] exstruxit. A Minoë aliquando in custodiam conjectus, sibi et Icăro filio alas cera aptavit, et cum eo avolavit. Dum Icarus altius evolabat, cera solis calore liquefacta, in mare decidit, quod ex eo Icarium pelagus[13] est appellatum; Daedalus autem in Siciliam pervenit.

5. Aesculapius, Apollinis filius, medicus praestantissimus, Hippolȳto, Theseĭ filio, vitam reddidisse dicitur. Ob id facinus Jupiter eum fulmine percussit. Tum Apollo, quod filii mortem in Jove ulcisci non poterat, Cyclōpes,[14] qui fulmina fecerant, interemit. Ob hoc factum, Apollinem Jupiter Admēto, regi Thessaliae,[15] in servitutem dedit.

6. Alcestim, Peliae filiam, quum multi in matrimonium peterent, Pelias promisit, se filiam ei esse daturum, qui feras currui junxisset. Admetus, qui eam perdite amabat, Apollinem rogavit, ut se in hoc negotio adjuvaret. Is quum ab Admeto, dum ei serviebat, liberaliter esset tractatus, aprum ei et leonem currui junxit, quibus ille Alcestim avexit. Idem gravi morbo implicitus,[16] munus ab Apolline accepit, ut praesens peri-

culum effugeret, si quis[1] sponte pro eo moreretur. Jam quum neque pater, neque mater Admeti pro eo mori voluissent, uxor se Alcestis morti obtulit, quam Hercules,[2] forte adveniens, Orci[3] manibus eripuit et Admeto reddidit.

7. Cassiŏpe[4] filiae suae Andromĕdae formam Nerĕĭdum[5] formae anteposuit. Ob hoc crimen illae a Neptuno postulaverunt, ut Andromeda ceto immani, quod oras populabatur, objiceretur. Quae quum ad saxum alligata esset, Perseus[6] ex Libya, ubi Medusam[7] occiderat, advolavit, et, bellua devicta et interemta, Andromedam liberavit.

8. Quam quum abducere vellet victor,[8] Agēnor, cui antea desponsata fuerat, Persĕo insidias struxit, ut eum interficeret, sponsamque eriperet. Ille, re cognita,[9] caput Medusae insidiantibus ostendit, quo viso,[10] omnes in saxa mutati sunt. Perseus autem cum Andromeda in patriam[11] rediit.

9. Cĕyx, Hespĕri filius, quum in naufragio periisset, Alcyōne, conjugis morte audita, se in mare praecipitavit. Tum deorum misericordia ambo in aves sunt mutati, quae Alcyŏnes appellantur. Hae aves pariunt hiberno tempore. Per illos dies mare tranquillum esse dicitur; unde nautae tranquillos et serenos dies Alcyonios appellare solent.

10. Tantălus, Jovis filius, tam carus fuit Diis, ut Jupiter ei consilia sua concrederet eumque ad epulas Deorum admitteret. At ille, quae apud Jovem audiverat, cum mortalibus communicabat. Ob id crimen dicitur apud inferos in aqua collocatus esse, semperque sitire. Nam quoties haustum aquae sumturus est, aqua recedit. Tum etiam poma ei super caput pendent; sed quoties ea decerpere conatur, rami vento moti[12] recedunt. Alii saxum ejus capiti impendēre dicunt, cujus ruinam timens, perpetuo metu cruciatur.

11. In nuptiis Pelĕi[13] et Thetĭdis[14] omnes Dii invitati erant praeter Discordiam. Haec irâ commota mālum[15] misit[16] in medium,[17] cui inscripta erant verba; *Pulcherrima me habeto.* Tum Juno, Venus et Minerva illud simul appetebant; magnāque inter eas discordia exorta, Jupiter Mercurio[18] imperat, ut Deas ad Paridem,[19] Priami filium, duceret, qui in monte Ida[20] greges pascebat; hunc earum litem diremturum esse.[21] Huic Juno, si se pulcherrimam judicasset, omnium terrarum regnum est pollicita; Minerva ei splendidam inter homines famam promisit; Venus autem Helĕnam, Ledae et Jovis filiam, se ei in conjugium dare spopondit.[22] Paris, hoc dono prioribus anteposito,[23] Venerem pulcherrimam esse judicavit. Postea, Veneris hortatu, Lacedoemŏnem profectus, Helenam conjugi suo Menelāo[24] eripuit. Hinc bellum Trojanum originem cepit, ad

17. Ceres quum nesciret, ubi filia esset, eam per totum orbem terrarum quaesivit. In quo itinere ad Celĕum venit, regem Eleusiniorum,[1] cujus uxor Metanīra puerum Triptolĕmum pepererat, rogavitque, ut se tanquam nutricem in domum reciperent. Quo facto, quum Ceres alumnum suum immortalem reddere vellet, eum interdiu lacte divino alebat, noctu clam igne obruebat.[2] Itaque mirum in modum crescebat. Quod quum mirarentur parentes, eam observaverunt. Qui quum viderent, Cererem puerum in ignem mittere, pater exclamavit. Tum Dea Celeum exanimavit; Triptolemo autem currum draconibus junctum tribuit, frugesque mandavit, quas[3] per orbem terrarum vectus disseminaret.

18. Althaea, Thestii filia, ex Oeneo peperit Meleagrum. Ei Parcae[4] ardentem titionem dederunt, praefantes, Meleagrum tam diu victurum,[5] quam diu is titio foret incolumis. Hunc itaque Althaea diligenter in arca clausum servavit. Interim Diana, Oeneo irata, quia ei sacra annua non fecerat, aprum mira magnitudine misit, qui agrum Calydonium[6] vastaret. Quem Meleager cum juvenibus ex omni Graecia delectis interfecit, pellemque ejus Atalantae[7] donavit. Cui quum Althaeae fratres eam eripere vellent, illa Meleagri auxilium imploravit, qui avunculos occīdit. Tum Althaea, gravi ira in filium commota, titionem illum fatalem in ignem conjecit. Sic Meleager periit. At sorores ejus, dum fratrem insolabiliter lugent, in aves[8] mutatae sunt.

19. Europam, Agenŏris filiam Sidoniam, Jupiter, in taurum mutatus, Sidōne[9] Cretam[10] transvexit, et ex ea procreavit Minōëm, Sarpedŏnem et Rhadamanthum. Hanc ut reducerent, Agēnor filios suos misit, conditione addita,[11] ut nec ipsi redirent, nisi sororem invenissent. Horum unus, Cadmus[12] nomine, quum erraret, Delphos[13] venit, ibique responsum accepit, bovem praecedentem sequeretur;[14] ubi ille decubuisset, ibi urbem conderet. Quod quum faceret, in Boeotiam[15] venit. Ibi aquam quaerens, ad fontem Castalium dracōnem[16] invēnit, Martis filium, qui aquam custodiebat. Hunc Cadmus interfecit, dentesque ejus sparsit et aravit.[17] Unde Sparti[18] enati sunt. Pugnâ inter illos exortâ, quinque superfuerunt, ex quibus quinque nobiles Thebanorum[19] stirpes originem duxerunt.

20. Quum Bacchus, Jovis ex Semĕle filius, exercitum in Indiam duceret, Silēnus[20] ab agmine aberravit. Quem Midas, rex Mygdoniae,[21] hospitio liberaliter accepit, eique ducem dedit, qui eum ad Bacchum reduceret. Ob hoc beneficium Bacchus Midae optionem dedit, ut, quidquid vellet, a

se peteret. Ille petiit, ut quidquid tetigisset,[1] aurum fieret. Quod quum impetrasset, quidquid tetigerat, aurum fiebat. Primo gavisus est hac virtute sua; mox intellexit, nihil ipsi hoc munere perniciosius esse. Nam etiam cibus et potio in aurum mutabatur. Quum jam fame cruciaretur, petit a Baccho, ut donum suum revocaret. Quem[2] Bacchus jussit in flumine Pactōlo se abluere, quumque aquam tetigisset, facta est colore aureo.[3]

21. Schoeneus[4] Atalantam filiam formosissimam dicitur habuisse, quae cursu viros superabat. Haec quum a pluribus in conjugium peteretur, pater ejus conditionem proposuit, ut, qui eam ducere vellet, prius cursu cum ea contenderet; si victus esset, occideretur. Multos quum superasset et interfecisset, tandem ab Hippomĕne victa est. Hic enim a Venere tria mala aurea acceperat. Dum currebant, horum[5] unum post alterum projecit, iisque Atalantae cursum tardavit. Nam dum mala colligit, Hippomenes ad metam pervēnit. Huic itaque Schoeneus filiam uxorem dedit. Quam quum in patriam duceret, oblitus Veneris beneficio se vicisse, grates ei non egit. Hanc ob causam Hippomenes mutatus est in leonem, Atalanta in leaenam.

22. Nisus, rex Megarensium, in capite crinem purpureum habuisse dicitur, eique praedictum fuit, tam diu eum regnaturum, quam diu eum crinem custodisset. Hunc Minos, rex Cretensium, bello aggressus est. Qui quum urbem Megăram[6] oppugnaret, Scylla, Nisi filia, amore ejus correpta est, et, ut ei victoriam pararet, patri dormienti fatalem crinem praecidit. Ita Nisus a Minōë victus et occisus est. Quum autem Minos in Cretam rediret, Scylla eum rogavit, ut eam secum aveheret. Sed ille negavit,[7] Cretam tantum scelus[8] esse recepturam. Tum illa se in mare praecipitat,[9] navemque persequitur. Nisus in aquilam marinam conversus est, Scylla in piscem, quem Cirim vocant. Hodieque, si quando illa avis hunc piscem conspexerit, mittit se in aquam raptumque unguibus dilaniat.

23. Amphīon, Jovis et Antiŏpes filius, qui Thebas muris cinxit,[10] Niŏben, Tantăli filiam, in matrimonium duxit. Ex qua procreavit filios septem, totidemque filias. Quem partum[11] Niobe Latonae liberis anteposuit, superbiusque[12] loquuta est in Apollinem et Dianam. Ob id Apollo filios ejus venantes sagittis interfecit, Diana autem filias. Niobe, liberis orbata, in saxum mūtata esse dicitur,[13] ejusque lacrymae hodieque manare narrantur.[13] Amphion autem, quum templum Apollinis expugnare vellet, ab Apolline sagittis est interfectus.

24. Phineus, Agenŏris filius, ab Apolline futurarum rerum scientiam acceperat. Quum vero hominibus deorum consilia enuntiaret, Jupiter eum excoecavit, et immisit ei Harpyias,[1] quae Jovis canes[2] esse dicuntur, ut cibum ab ore ei auferrent. Ad quem quum Argonautae[3] venissent, ut eum iter rogarent,[4] dixit, se illis iter demonstraturum esse, si eum poena liberarent. Tum Zetes et Calăïs, Aquilōnis filii, qui pennas in capite et in pedibus habuisse dicuntur, Harpyias fugaverunt in insulas Strophădas,[5] et Phinĕum poena liberarunt.[6]

IV. ANECDOTES OF EMINENT PERSONS OF ANTIQUITY.

1. Thales interrogatus, an facta hominum deos laterent,[1] respondit, ne cogitata quidem.

2. Solon, qui Atheniensibus leges scripsit, dicebat, neminem, dum viveret,[2] beatum haberi posse, quod omnes ad ultimum usque diem ancipiti[3] fortunae obnoxii essent.

3. Pythagorae philosophi tanta fuit apud discipulos suos auctoritas, ut, quae ab eo[4] audivissent, ea in dubitationem adducere non auderent. Rogati autem, ut causam redderent eorum, quae dixissent, respondebant, *Ipsum dixisse.* *Ipse* autem erat Pythagoras.

4. Bias, unus ex septem Sapientibus, quum patriam Priēnen[5] ab hostibus expugnatam et eversam fugeret, interrogatus, cur nihil ex bonis suis secum ferret; *ego vero,*[6] respondit, *bona mea mecum porto omnia.*

5. Democrĭtus, cui pater ingentes divitias reliquerat, omne fere patrimonium suum civibus donavit, ne domesticarum rerum cura a philosophiae studio avocaretur.

6. Etiam Crates Thebanus bona sua inter Thebanos divisit, nihil sibi servans praeter peram et baculum. Haec enim Cynicorum[7] instrumenta erant. A quo consilio quum amici et propinqui eum avocare studerent, eos correpto baculo fugavit, nihil pulchrius esse arbitratus, quam ab omnibus curis vacuum uni philosophiae operam dare.

7. Anaxagŏras quum a longinqua peregrinatione, scientiae augendae causa suscepta, in patriam rediisset, agrosque suos neglectos et desertos videret,[8] *non essem,* inquit, *salvus, nisi ista periissent.*[9]

8. Carneădes usque ad extremam senectam nunquam cessavit a philosophiae studio. Saepe ei accidit, ut, quum cibi capiendi causa accubuisset,[10] cogitationibus inhaerens,[11] manum ad cibos appositos porrigere oblivisceretur.

9. Idem adversus Zenōnem Stoicum scripturus, caput hellebŏro purgabat, ne corrupti humores sollertiam et acumen mentis impedirent.

10. Anaxagŏras, philosophus, morte filii audita, vultu nihil immutato dixit: Sciebam me mortalem genuisse.

11. Archytas Tarentinus,[1] quum ab itinere reversus, agros suos villici[2] socordia neglectos videret, *graviter te castigarem*, inquit, *nisi iratus essem.*

12. Plato quoque quum in servum vehementius[3] exarsisset,[4] veritus[5] ne vindictae modum excederet, Speusippo adstanti mandavit, ut de illius poena statueret.

13. Idem, discendi cupiditate ductus,[6] Aegyptum peragravit, et a sacerdotibus illius regionis geometriam et astronomiam didicit. Idem in Italiam trajecit, ut ubi Pythagorae[7] philosophiam et instituta disceret.

14. Athenienses Socrătem damnaverunt, quod novos deos introducere videbatur. Protagŏram quoque philosophum, qui ausus fuerat scribere, *se ignorare, an dii essent*, Athenienses ex urbe pepulerunt.

15. Xanthippe, Socratis uxor, morosa admodum fuisse fertur.[8] Quam ejus indolem quum perspexisset Alcibiades, Socratem interrogavit, quid esset, quod[9] mulierem tam acerbam et jurgiosam non exigeret domo. Tum ille, *quoniam*, inquit, *dum illam domi perpetior, insuesco, ut ceterorum quoque foris petulantiam et injurias facilius feram.*

16. Xenocrătes philosophus quum maledicorum quorundam sermoni interesset,[10] neque quidquam ipse loqueretur, interrogatus, *cur solus taceret*, respondit: *quia dixisse me aliquando poenituit*[11] *tacuisse nunquam.*

17. Hegesĭas philosophus in disputationibus suis mala et cruciatus vitae tam vividis coloribus repraesentabat, ut multi, qui eum audiverant, sponte se occiderent. Quare a Ptolemaeo[12] rege ulterius his de rebus disserere est prohibitus.

18. Gorgĭae Leontino[13] qui eloquentia et eruditione omnes suae aetatis homines superare existimabatur,[14] universa Graecia in templo Apollinis Delphici[15] statuam auream collocavit.

19. Idem quum annum centesimum septimum ageret, interrogatus, *quapropter tam diu vellet in vita remanere?* respondit: *quia nihil habeo, quod*[16] *senectutem meam accūsem.*

20. Illustrissimi saepe viri humili loco nati fuerunt. Socrates, quem oraculum Apollinis sapientissimum omnium hominum judicavit, obstetrīcis filius fuit. Euripĭdes, poëta, tragicus, matrem habuit, quae olera venditabat; et Demosthĕnis, oratoris eloquentissimi, patrem cultellos vendidisse narrant.

21. Homerus, princeps poëtarum Graecorum, dolore ab-

sumtus esse creditur,[1] quod quaestionem[2] a piscatoribus ipsi propositam solvere non posset.

22. Simonĭdes, poëta praestantissimus, gloriatur in quodam poëmate, se octoginta annos natum[3] in certamen musicum[4] descendisse, et victoriam inde retulisse. Idem aliquamdiu vixit apud Hipparchum, Pisistrati filium, Athenarum tyrannum. Inde Syracusas se contulit ad Hierōnem regem, cum quo familiariter vixisse dicitur. Primus carmina statuto pretio scripsit; quare eum Musam venalem reddidisse dicunt.[5]

23. Quum Aeschylus Atheniensis, qui parens tragoediae dicitur, in Sicilia versaretur, ibique in loco aprīco sederet, aquila testudinem glabro eius capiti immisit, quod pro saxo habuit. Quo ictu ille exstinctus est.

24. Euripides, qui et ipse[6] magnum inter poëtas tragicos nomen habet, a coena domum rediens[7] a canibus laceratus est.

25. Athenienses quondam ab Euripide postulabant, ut ex tragoedia sententiam[8] quandam tolleret. Ille autem in scenam progressus dixit: se fabulas componere solere, ut populum doceret, non ut a populo disceret.

26. Philippĭdes, comoediarum scriptor, quum in poëtarum certamine praeter spem vicisset, et illa victoria impense gauderet, eo ipso gaudio repente exstinctus est.

27. Pindărus, poëta Thebanus, Apollini gratissimus fuisse dicitur. Quare saepe a sacerdotibus in templum Delphicum ad coenam vocabatur, parsque ei tribuebatur donorum, quae sacrificantes deo obtulerant. Ferunt etiam Pana[9] Pindari hymnis tantopere fuisse laetatum, ut eos in montibus et silvis caneret. Quum Alexander, rex Macedoniae, Thebas diriperet, unius Pindari domo et familiae pepercit.[10]

28. Diogĕnes Cynicus Myndum[11] profectus, quum videret magnificas portas et urbem exiguam, Myndios monuit, ut portas clauderent, ne urbs egrederetur.

29. Demosthenes, Atheniensis, incredibili studio et labore eo pervēnit, ut, quum[12] multi eum ingenio parum valere existimarent, omnes aetatis suae oratores superaret eloquentia. Numquam tamen ex tempore dicebat, neque in concione volebat assurgere, nisi rem, de qua ageretur,[13] accurate antea meditatus esset. Unde plerique eum timidum esse existimabant. Sed in hac re Perĭclis[14] consuetudinem imitabatur, qui non facile de quaque re dicere, nec existimationem suam fortunae committere solebat.

30. Pericles in concionem iturus,[15] quum animo perpenderet, quantum periculi inconsiderate dicta hominibus affer-

rent, solebat precari a diis, ne quod[1] ipsi verbum imprudenti excideret, quod reipublicae officere posset.

31. Minos, Cretensium rex, saepe se in speluncam quandam conferebat, ibique se cum Jove collŏqui legesque ab eo accipere dicebat. Etiam Lycurgus[2] Lacedaemoniis persuasit,[3] se leges suas ab Apolline didicisse.

32. Quum Lycurgus, Lacedaemoniorum legislator, Delphis in templum Apollinis intrasset, ut a deo oraculum peteret, Pythia[4] eum his verbis allocuta est: nescio, utrum Deus an homo appellandus sis; sed deus potius videris esse.

33. Leonidas, rex Lacedaemoniorum, quum Persae[5] dicerentur sagittarum multitudine solem obscuraturi,[6] respondisse fertur: *melius itaque in umbra pugnabimus.*

34. Cyrus[7] omnium suorum militum nomina memoria tenebat. Mithridates autem, rex Ponti,[8] duarum et viginti gentium, quae sub regno ejus erant, linguas ita didicerat, ut cum omnibus, quibus imperabat, sine interprĕte loqui posset.

35. Themistocles interroganti, utrum Achilles[9] esse mallet, an Homerus, respondit: Tu vero mallesne te in Olympico certamine[10] victorem renuntiari, an praeco esse, qui victorum nomina proclāmat?

36. Epaminondas,[11] Thebanorum imperator, in bello adversus Lacedaemonios, animos suorum religione excitandos ratus, arma in templis affixa[12] nocte detraxit, persuasitque militibus, quum illa abesse viderent, deos iter suum sequi, ut ipsis proeliantibus adessent.

37. Idem in pugna ad Mantinēam[13] graviter vulneratus est. Quum animam recepisset, interrogavit circumstantes amicos, *an clypeus*[14] *salvus esset?* deinde, *an hostes fusi essent?* Illi utrumque affirmaverunt. Tum demum hastam e corpore edūci jussit. Quo facto statim exspiravit.

38. Epaminondas tanta fuit abstinentia[15] et integritate, ut post plurima bella, quibus Thebanorum potentiam incredibiliter auxerat, nihil in supellectili haberet praeter ahenum et veru.

39. Lysander,[16] dux Lacedaemoniorum, militem quendam, via egressum, castigabat. Cui dicenti, ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse, respondit: *ne speciem quidem rapturi praebeas volo.*[17]

40. Iphicrătes, dux Atheniensium, quum praesidio teneret Corinthum, et sub adventum hostium ipse vigilias circumiret, vigilem, quem dormientem invenerat hasta transfixit. Quod factum[18] quibusdam ei, ut saevum, exprobrantibus, *qualem invēni*, inquit, *talem relīqui.*

41. Quum quidam Thrasybūlo,[19] qui civitatem Atheniensium

ratos tuos terreas. Mea quidem nihil interest,[1] *humine*[2] *an sublīme*[3] *putrescam.*

51. Mausōlus, rex Cariae,[4] Artemisiam habuit conjugem. Haec, Mausolo defuncto, ossa cineremque mariti contusa et odoribus mixta cum aqua potabat. Exstruxit quoque, ad conservandam ejus memoriam, sepulcrum[5] illud nobilissimum, ab ejus nomine appellatum, quod inter septem orbis terrarum miracula[6] numeratur. Quod quum Mausoli manibus[7] dicaret, certamen instituit, praemiis amplissimis ei propositis,[8] qui defunctum regem optime laudasset.

52. Dionysius,[9] qui a patre Syracusarum et paene totius Siciliae tyrannidem acceperat, senex, patria pulsus, Corinthi pueros litteras docuit.

53. Mithridates, rex Ponti, saepe venenum hauserat, ut sibi a clandestinis caveret insidiis. Hinc factum est, ut, quum a Pompejo superatus mortem sibi consciscere vellet, ne velocissima quidem venena ei nocerent.

54. Quum Gyges, rex Lydiae[10] ditissimus, oraculum Apollinis interrogaret, *an quisquam mortalium se esset felicior,*[11] deus Aglăum quendam Psophidium[12] feliciorem praedicavit. Is autem erat Arcădum pauperrimus, parvuli agelli possessor, cujus terminos, quamvis senex, nunquam excesserat, fructibus et voluptatibus angusti ruris contentus.

55. Pyrrhus,[13] rex Epīri, quum in Italia esset, audivit, Tarentinos quosdam juvenes in convivio parum honorifice de se loquutos esse. Eos igitur ad se arcessitos percunctatus est, an dixissent ea, quae ad aures suas pervenissent. Tum unus ex his, *nisi,* inquit, *vinum nobis defecisset, multo etiam plura et graviora in te loquuturi eramus.*[14] Haec criminis excusatio iram regis in risum convertit.

56. Marsyas, frater Antigŏni,[15] regis Macedoniae, quum causam haberet cum privato quodam, fratrem rogavit, ut de ea domi cognosceret. At ille, *in foro potius,*[16] inquit. *Nam si culpâ vacas, innocentia tua ibi melius apparebit; sin damnandus es, nostra justitia.*

57. Clara sunt apud Catanenses[17] nomina fratrum Anăpi et Amphinŏmi, qui patrem et matrem humeris per medios ignes Aetnae portarunt, eosque cum vitae suae periculo e flammis eripuerunt.

58. Spartanus quidam quum rideretur, quod claudus in pugnam iret, *at*[18] *mihi,* inquit, *pugnare, non fugere est propositum.*

59. Spartanus quidam in magistratus petitione ab aemulis victus, *maximae sibi laetitiae esse,*[19] dixit, *quod patria sua se meliores*[20] *cives haberet.*

60. Quum homo quidam, qui diu in uno pede stare didice

rat, Lacedaemonio cuidam dixisset, *se non arbitrari, Lacedaemoniorum quemquam tamdiu idem facere posse*, ille respondit: *at anseres*[1] *te diutius.*

61. Diagŏras Rhodius,[2] quum tres ejus filii in ludis Olympicis[3] victores renuntiati essent, tanto affectus est gaudio, ut in ipso stadio, inspectante populo,[4] in filiorum manibus animam redderet.

62. Scipio Africanus[5] nunquam ad negotia publica accedebat, ante quam in templo Jovis precatus esset.

63. Scipio dicere solebat, hosti non solum dandam esse viam fugiendi, sed etiam muniendam. Similiter Pyrrhus, rex Epīri,[6] fugienti hosti pertinaciter instandum esse negabat;[7] non solum, ne fortius[8] ex necessitate[9] resisteret, sed ut postea quoque facilius acie cederet, ratus, victores fugientibus non usque ad perniciem instaturos esse.

64. Metellus Pius, in Hispania bellum gerens, interrogatus, quid postero die facturus esset? *tunicam meam*, inquit, *si id elŏqui posset, comburerem.*

65. L. Mummius, qui, Corintho[10] capta, totam Italiam tabulis statuisque exornavit, ex tantis manubiis nihil in suum usum convertit, ita ut, eo defuncto, non esset unde[11] ejus filia dotem acciperet. Quare senatus ei ex publico dotem decrevit.

66. Scipio Africanus major[12] Ennii poëtae imaginem in sepulcro gentis Corneliae[13] collocari jussit, quod Scipiōnum res gestas carminibus suis illustraverat.

67. M. Cato, Catonis Censorii filius, in acie, cadente equo prolapsus, quum se recollegisset, animadvertissetque gladium excidisse vagina, rediit in hostem: acceptisque aliquot vulneribus, recuperato demum gladio[14] ad suos reversus est.

68. Q. Metellus Macedonicus in Hispania quinque cohortes, quae hostibus cesserant testamentum facere jussas, ad locum[15] recuperandum misit; minatus, eos[16] non nisi post victoriam receptum iri.

69. Publius Decius consul, quum in bello contra Latinos Romanorum aciem cedentem videret,[17] capite pro reipublicae salute devoto,[18] in medium hostium agmen irruit, et magna strage edita plurimis telis obrŭtus cecidit. Haec ejus mors Romanorum aciem restituit iisque victoriam paravit.

70. L. Junius Brutus, qui Romam a regibus liberavit,[19] filios suos, qui Tarquinium regem expulsum restituere conati erant, ipse capitis damnavit, eosque virgis caesos[20] securi percŭti jussit.

71. Q. Marcius Rex, consul, quum filium unicum, juve-

nem summae pietatis et magnae spei, morte amisisset, dolorem suum ita coërcuit, ut a rogo adolescentis protĕnus curiam peteret, ibique muneris sui negotia strenue obiret.

72. In bello Romanorum cum Persĕo,[1] ultimo Macedoniae rege, accidit, ut serena nocte subito luna deficeret. Haec res ingentem apud milites terrorem excitavit, qui existimabant, hoc omine[2] futuram cladem portendi. Tum vero Sulpicius Gallus, qui erat in eo exercitu, in concione militum causam hujus rei tam diserte exposuit, ut postero die omnes intrepido animo pugnam committerent.

73. L. Siccius Dentatus ob insignem fortitudinem appellatus est Achilles Romanus. Pugnasse is dicitur centum et viginti proeliis; cicatrīcem aversam[3] nullam, adversas quinque et quadraginta tulisse; coronis[4] esse donatus aureis duodeviginti, obsidionali una, muralibus tribus, civicis quatuordecim, torquibus tribus et octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeviginti. Phalĕris idem donatus est quinquies viciesque. Triumphavit cum imperatoribus suis triumphos novem.

74. Hannibalem in Italiam proficiscentem tria millia Carpetanorum[5] reliquerent. Quorum exemplum ne caeteri quoque barbari[6] sequerentur, edixit, eos a se esse dimissos, et insuper in fidem ejus rei[7] alios etiam, quorum fides ipsi suspecta erat, domum remisit.

75. Hannibal quum elephantos compellere non posset, ut praealtum flumen transirent, neque rates haberet, quibus eos trajiceret,[8] jussit ferocissimum elephantorum sub aure vulnerari,[9] et eum, qui vulnerasset, se in flumen conjicere illudque tranare. Tum elephantus exasperatus ad persequendum doloris sui auctorem tranavit amnem, et reliqui quoque eum secuti sunt.

SECOND DIVISION.

AN EPITOME OF ROMAN HISTORY,

FROM THE EARLIEST AGES TO THE TIME OF THE EMPERORS.

LIBER PRIMUS.

1. Antiquissimis temporibus Saturnus in Italiam venisse dicitur. Ibi haud procul a Janiculo[1] arcem condidit, eamque Saturniam appellavit. Hic Italos primus agriculturam docuit.

2. Postea Latinus in illis regionibus imperavit. Sub hoc rege Troja[2] in Asia eversa est. Hinc Aenēas, Anchīsae filius, cum multis Trojanis, quibus ferrum Graecorum pepercerat,[3] aufūgit, et in Italiam pervēnit. Ibi Latinus rex ei benigne recepto filiam Laviniam in matrimonium dedit. Aeneas urbem condidit, quam in honorem conjugis Lavinium appellavit.

3. Post Aeneae mortem, Ascanius, Aeneae filius, regnum accepit. Hic sedem regni in alium locum transtulit, urbemque condidit in monte Albano, eamque Albam longam[4] nuncupavit. Eum secutus est Silvius, qui post Aeneae mortem a Lavinia genitus erat. Ejus posteri omnes, usque ad Romam conditam, Albae regnaverunt.

4. Unus horum regum, Romulus Silvius, se Jove majorem esse dicebat, et, quum tonaret, militibus imperavit, ut clypeos hastis percuterent, dicebatque, hunc sonum multo clariorem esse quam tonitru. Fulmine ictus et in Albanum lacum praecipitatus est.

5. Silvius Procas, rex Albanorum, duos filios reliquit, Numitōrem et Amulium. Horum minor natu, Amulius, fratri optionem dedit, utrum regnum habere vellet, an bona, quae ater reliquisset. Numitor paterna bona praetulit; Amulius egnum obtinuit.

6. Amulius, ut regnum firmissime possideret, Numitoris filium per insidias interemit, et filiam fratris, Rheam Silviam, Vestalem virginem fecit. Nam his Vestae sacerdotibus[1] non licet viro nubere.[2] Sed haec a Marte geminos filios, Romulum et Remum, peperit. Hoc quum Amulius comperisset, matrem in vincula conjecit, pueros autem in Tiberim abjici jussit.

7. Forte Tiberis aqua ultra ripam[3] se effuderat, et quum pueri in vado essent positi, aqua refluens eos in sicco reliquit. Ad eorum vagitum lupa accurrit, eosque uberibus suis aluit. Quod videns Faustulus quidam, pastor illius regionis, pueros sustulit, et uxori Accae Laurentiae nutriendos[4] dedit.

8. Sic Romulus et Remus pueritiam inter pastores transegerunt. Quum adolevissent, et forte comperissent, quis ipsorum avus, quae mater fuisset, Amulium interfecerunt, et Numitori avo regnum restituerunt. Tum urbem condiderunt in monte Aventino, quam Romulus a suo nomine Romam vocavit. Haec quum moenibus circumdaretur, Remus occisus est, dum fratrem irridens moenia transiliebat.

ante Chr. 754.

9. Romulus, ut civium numerum augeret, asylum[5] patefecit, ad quod multi ex civitatibus suis pulsi[6] accurrerunt. Sed novae urbis civibus conjuges deerant. Festum itaque Neptuni et ludos instituit. Ab hos quum multi ex finitimis populis cum mulieribus et liberis venissent, Romani, inter ipsos ludos, spectantes virgines rapuerunt.

10. Populi illi, quorum virgines raptae erant, bellum adversus raptores susceperunt. Quum Romae appropinquarent, forte in Tarpejam virginem inciderunt, quae in arce[7] sacra procurabat. Hanc rogabant, ut viam in arcem monstraret, eique permiserunt ut munus sibi posceret. Illa petiit, ut sibi darent, quod in sinistris manibus gererent, annulos aureos et armillas significans. At hostes, in arcem ab ea perducti, scutis Tarpejam obruerunt; nam et haec in sinistris manibus gerebant.

11. Tum Romulus cum hoste, qui montem Tarpejum tenebat, pugnam conseruit in eo loco, ubi nunc forum Romanum est. In media caede raptae processerunt, et hinc patres, hinc conjuges et soceros complectebantur et rogabant, ut caedis finem facerent. Utrique his precibus commoti sunt. Romulus foedus icit, et Sabinos in urbem recepit.[8]

12. Postea civitatem descripsit. Centum senatores legit, eosque cum ob aetatem, tum ob reverentiam iis debitam, Patres appellavit. Plebem in triginta curias distribuit, easque

raptarum nominibus nuncupavit. Anno regni tricesimo septimo, quum exercitum lustraret,[1] inter tempestatem ortam, repente oculis hominum subductus est. Hinc alii eum a senatoribus interfectum, alii ad deos sublatum[2] esse existimaverunt. A. V. C. 37.

13. Post Romuli mortem unius anni interregnum fuit. Quo elapso Numa Pompilius, Curibus, urbe in agro Sabinorum, natus, rex creatus est. Hic vir bellum quidem nullum gessit; nec minus tamen civitati profuit. Nam et leges dedit, et sacra plurima instituit, ut populi barbari et bellicosi mores molliret. Omnia autem, quae faciebat, se nymphae Egeriae, conjugis suae, jussu facere dicebat. Morbo decessit, quadragesimo tertio imperii anno.

14. Numae successit Tullus Hostilius, cujus avus se in bello adversus Sabinos fortem et strenuum virum praestiterat. Rex creatus bellum Albanis indixit, idque trigeminorum, Horatiorum et Curiatiorum, certamine finivit. Albam propter perfidiam Metii Fuffetii[3] diruit. Quum triginta duobus annis regnasset, fulmine ictus cum domo sua arsit. A. V. 81.

15. Post hunc Ancus Marcius, Numae ex filia nepos, suscepit imperium. Hic vir aequitate et religione avo similis, Latinos bello domuit, urbem ampliavit, et nova ei moenia circumdĕdit.[4] Carcerem primus aedificavit. Ad Tiberis ostia urbem condidit, Ostiamque vocavit. Vicesimo quarto anno imperii morbo obiit. A. V. 114.

16. Deinde regnum Lucius Tarquinius Priscus accepit, Damarāti filius, qui tyrannos patriae Corinthi[5] fugiens in Etruriam[6] venerat. Ipse Tarquinius, qui nomen ab urbe Tarquiniis accepit, aliquando Romam profectus erat. Advenienti aquila pileum abstulit, et postquam alte evolaverat, reposuit. Hinc Tanaquil conjux, mulier auguriorum perita, regnum ei portendi intellexit. A. V. 137.

17. Quum Romae commoraretur, Anci regis familiaritatem consequutus est, qui eum filiorum suorum tutorem reliquit. Sed is pupillis regnum intercepit. Senatoribus, quos Romulus creaverat, centum alios addidit, qui minorum gentium[7] sunt appellati. Plura bella feliciter gessit, nec paucos agros, hostibus ademtos,[8] urbis territorio adjunxit. Primus triumphans urbem intravit. Cloacas fecit; Capitolium[9] inchoavit. Tricesimo octavo imperii anno per Anci filios, quibus regnum eripuerat, occisus est.

18. Post hunc Servius Tullius suscepit imperium, genitus ex nobili femina, captiva tamen et famula. Quum in domo Tarquinii Prisci educaretur, flamma in ejus capite visa est. Hoc prodigio Tanaquil ei summam A. V. 176.

dignitatem portendi intellexit, et conjugi persuasit, ut eum sicuti liberos suos educaret. Quum adolevisset, rex ei filiam in matrimonium dedit.

19. Quum Priscus Tarquinius occisus esset, Tanaquil de superiore parte domus populum allocuta est, dicens: regem grave quidem, sed non letale vulnus accepisse; eum petere, ut populus, dum convaluisset, Servio Tullio obediret. Sic Servius regnare coepit, sed bene imperium administravit. Montes tres urbi adjunxit. Primus omnium censum[1] ordinavit. Sub eo Roma habuit capitum octoginta tria millia civium Romanorum cum his, qui in agris erant.

A. V. 220. 20. Hic rex interfectus est scelere filiae Tulliae et Tarquinii Superbi, filii ejus regis, cui Servius successerat. Nam ab ipso Tarquinio de gradibus Curiae[2] dejectus, quum domum fugeret, interfectus est. Tullia in forum properavit et prima conjugem regem salutavit. Quum domum rediret, aurigam super patris corpus, in via jacens, carpentum[3] agere jussit.

21. Tarquinius Superbus cognomen moribus meruit. Bello tamen strenuus plures finitimorum populorum vicit. Templum Jovis in Capitolio aedificavit. Postea, dum Ardeam oppugnabat, urbem Etruriae, imperium perdidit. Nam quum filius ejus Lucretiae, nobilissimae feminae, conjugi Tarquinii Collatini, vim fecisset, haec se ipsa occīdit in conspectu mariti, patris et amicorum, postquam eos obtestata fuerat, ut hanc injuriam[4] ulciscerentur.

A. V. 243. 22. Hanc ob causam L. Brutus, Collatinus, aliique nonnulli in exitium regis conjurarunt, populoque persuaserunt, ut ei portas Urbis clauderet. Exercitus quoque, qui civitatem Ardeam cum rege oppugnabat, eum reliquit. Fugit itaque cum uxore et liberis suis. Ita Romae regnatum est per septem reges, annos ducentos quadraginta tres.

23. Hinc consules coepere pro uno rege duo creari, ut, si unus malus esset, alter eum coërceret. Annuum iis imperium tributum est, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur. Fuerunt igitur anno primo, expulsis regibus, consules L. Junius Brutus acerrimus libertatis vindex, et Tarquinius Collatinus, maritus Lucretiae. Sed Collatino paulo post dignitas sublata est. Placuerat enim, ne quis ex Tarquiniorum familia Romae maneret. Ergo cum omni patrimonio suo ex urbe migravit, et in ejus locum Valerius Publicola consul factus est.

24. Commovit bellum urbi rex Tarquinius. In prima pugna Brutus, consul, et Aruns, Tarquinii filius, sese invi-

familia Fabiorum sola hoc bellum suscepit. Profecti sunt trecenti sex nobilissimi homines, duce Fabio consule.
A. V. 274. Quum saepe hostes vicissent, apud Cremĕram[1] fluvium castra posuerunt. Ibi Vejentes, dolo usi, eos in insidias pellexerunt. In proelio ibi exorto omnes perierunt. Unus superfuit ex tanta familia, qui propter aetatem puerilem duci non potuerat ad pugnam. Hic genus propagavit ad Qu. Fabium Maximum, illum, qui Hannibalem[2] prudenti cunctatione debilitavit.[3]

30. Anno trecentesimo et altero ab Urbe condita
A. V. 302. Decemviri[4] creati sunt, qui civitati leges scriberent. Hi primo anno bene egerunt; secundo autem dominationem exercere coeperunt. Sed quum unus eorum Appius Claudius virginem ingenuam, Virginiam, Virginii centurionis filiam, corrumpere vellet, pater eam occīdit. Tum ad milites profūgit, eosque ad seditionem commovit. Sublata est decemviris potestas, ipsique omnes aut morte aut exilio puniti sunt.

31. In bello contra Vejentanos Furius Camillus ur-
A. V. 358. bem Falerios[5] obsidebat. In quo obsidione quum ludi literarii magister principum filios ex urbe in castra hostium duxisset, Camillus hoc donum non accepit, sed scelestum hominem, manibus post tergum vinctis, pueris Falerios reducendum tradidit;[6] virgasque iis dedit, quibus proditorem in urbem agerent.

32. Hac tanta animi nobilitate commoti Falisci urbem Romanis tradiderunt. Camillo autem apud Romanos crimini datum est, quod albis equis[7] triumphasset, et praedam inique divisisset; damnatusque ob eam causam et civitate expulsus est. Paulo post Galli Senones[8] ad Urbem venerunt,
A. V. 364. Romanos apud flumen Alliam[9] vicerunt, et Urbem etiam occuparunt. Jam nihil praeter Capitolium defendi potuit. Et jam praesidium fame laborabat, et in eo erant,[10] ut pacem a Gallis auro emerent, quum Camillus cum manu militum superveniens hostes magno proelio superaret.

LIBER SECUNDUS.

1. Anno trecentesimo nonagesimo quarto post Ur-
A. V. 394. bem conditam Galli iterum ad Urbem accedebant, et quarto milliario trans Aniēnem[11] fluvium consederant. Contra eos missus est T. Quinctius. Ibi Gallus quidam, eximia corporis magnitudine, fortissimum Romanorum ad certamen singulare provocavit. T. Manlius, nobilissimus juvenis, provocationem accepit, Gallum occīdit, eumque torque

aureo spoliavit, quo ornatus erat. Hinc et ipse et posteri ejus Torquati appellati sunt. Galli fugam capessiverunt.

2. Novo bello cum Gallis exorto, anno Urbis quadringentesimo sexto, iterum Gallus processit, robore atque armis insignis, et provocavit unum ex Romanis, ut secum armis decerneret. Tum se M. Valerius, tribunus militum,[1] obtulit; et quum processisset armatus, corvus ei supra dextrum brachium sedit. Mox, commissa pugna, hic corvus alis et unguibus Galli oculos verberavit. Ita factum est, ut Gallus facili negotio a Valerio interficeretur, qui hinc Corvini nomen accepit. A. V. 406.

3. Postea Romani bellum gesserunt cum Samnitibus.[2] ad quod L. Papirius Cursor cum honore dictatoris[3] profectus est. Qui, quum negotii cujusdam causa Romam ivisset, praecepit Q. Fabio Rulliano, magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, ne pugnam cum hoste committeret. Sed ille, occasionem nactus, felicissime dimicavit et Samnites delevit. Ob hanc rem a dictatore capitis damnatus est. At ille in Urbem confugit, et ingenti favore militum et populi liberatus est; in Papirium autem tanta exorta est seditio, ut paene ipse interficeretur. A. V. 430.

4. Duobus annis post T. Veturius et Spurius Postumius consules bellum adversum Samnites gerebant. Hi a Pontio Thelesino, duce hostium, in insidias inducti sunt. Nam ad Furculas Caudinas[4] Romanos pellexit in angustias, unde sese expedire non poterant. Ibi Pontius patrem suum Herennium rogavit, quid faciendum putaret. Ille ait, aut omnes occidendos esse, ut Romanorum vires frangerentur, aut omnes dimittendos, ut beneficio obligarentur. Pontius utrumque consilium improbavit, omnesque sub jugum[5] misit. Samnites denique post bellum undequinquaginta annorum superati sunt. A. V. 433.

5. Devictis Samnitibus, Tarentinis[6] bellum indictum est, quia legatis Romanorum injuriam fecissent. Hi Pyrrhum, Epiri[7] regem, contra Romanos auxilio poposcerunt.[8] Is mox in Italiam venit, tumque primum Romani cum transmarino hoste pugnaverunt. Missus est contra eum consul P. Valerius Laevinus. Hic, quum exploratores Pyrrhi cepisset, jussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum, tumque dimitti, ut renuntiarent Pyrrho, quaecunque a Romanis agerentur. A. V. 472.

6. Pugna commissa, Pyrrhus auxilio elephantorum[9] vicit. Nox proelio finem dedit. Laevinus tamen per noctem fugit. Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit, eosque summo honore tractavit. Quum eos, qui in proelio interfecti fuerant,

omnes adversis vulneribus[1] et truci vultu etiam mortuos jacere videret, tulisse ad coelum manus dicitur, cum hac voce: *Ego cum talibus viris brevi*[2] *orbem terrarum subigerem.*

7. Postea Pyrrhus Romam perrexit; omnia ferro igneque vastavit; Campaniam[3] depopulatus est, atque ad Praeneste[4] venit, milliario ab Urbe octavo decimo. Mox terrore exercitus, qui cum consule sequebatur, in Campaniam se recepit. Legati, ad Pyrrhum de captivis redimendis missi, honorifice ab eo suscepti sunt; captivos sine pretio reddidit. Unum ex legatis, Fabricium, sic admiratus est, ut ei quartam partem regni sui promitteret, si ad se transiret; sed a Fabricio contemtus est.

8. Quum jam Pyrrhus ingenti Romanorum admiratione teneretur, legatum misit Cineam, praestantissimum virum, qui pacem peteret, ea conditione, ut Pyrrhus eam partem Italiae quam armis occupaverat, obtineret. Romani responderunt, eum cum Romanis pacem habere non posse, nisi ex Italia recessisset. Cineas quum rediisset, Pyrrho, eum interroganti, *qualis ipsi Roma visa esset;* respondit, *se regum patriam vidisse.*

9. In altero proelio cum rege Epiri commisso,[5] Pyrrhus vulneratus est, elephanti interfecti, viginti millia hostium caesa sunt. Pyrrhus Tarentum fugit. Interjecto anno Fabricius contra eum missus est. Ad hunc medicus Pyrrhi nocte venit, promittens, se Pyrrhum veneno occisurum, si munus sibi daretur. Hunc Fabricius vinctum reduci jussit ad dominum. Tunc rex, generosum viri animum admiratus, dixisse fertur; *Ille est Fabricius, qui difficilius ob honestate, quam sol a cursu suo averti potest.* Paulo post Pyrrhus, tertio etiam proe-
A. V. 481. lio fusus, a Tarento recessit, et, quum in Graeciam rediisset, apud Argos, Peloponnesi urbem, interfectus est.

10. Anno quadringentesimo nonagesimo post Urbem
A. V. 490. conditam Romanorum exercitus primum in Siciliam trajecerunt, regemque Syracusarum Hierōnem, Poenosque, qui multas civitates in ea insula occupaverant, su-
A. V. 495. peraverunt. Quinto anno hujus belli, quod contra Poenos gerebatur, primum Romani, C. Duillio et Cn. Cornelio Asina Coss., in mari dimicaverunt. Duillius Carthaginienses vicit, triginta naves occupavit, quatuordecim mersit, septem millia hostium cepit, tria millia occīdit. Nulla victoria Romanis gratior fuit. Duillio concessum est, ut, quum a coena rediret, pueri funalia gestantes et tibīcen eum comitarentur.[6]

11. Paucis annis interjectis bellum in Africam trans-
A. V. 499. latum est. Hamilcar, Carthaginiensium dux, pugna navali superatur; nam perditis sexaginta quatuor navi-

bus, se recepit; Romani viginti duas amiserunt. Quum in Africam venissent, Poenos in pluribus proeliis vicerunt, magnam vim hominum ceperunt, septuaginta quatuor civitates in fidem acceperunt. Tum victi Carthaginienses pacem a Romanis petierunt. Quam quum M. Atilius Regulus, Romanorum dux, dare nollet nisi durissimis conditionibus, Carthaginienses auxilium petierunt a Lacedaemoniis. Hi Xanthippum miserunt, qui Romanum exercitum magno proelio vicit. Regulus ipse captus et in vincula conjectus est.

12. Non tamen ubique fortuna Carthaginiensibus favit. Quum aliquot proeliis victi essent, Regulum rogaverunt, ut Romam proficisceretur, et pacem captivorumque permutationem a Romanis obtineret. Ille quum Romam venisset, inductus in senatum, dixit, *se desiisse*[1] *Romanum esse ex illa die, qua in potestatem Poenorum venisset.* Tum Romanis suasit, ne pacem cum Carthaginiensibus facerent; illos enim tot casibus fractos, spem nullam nisi in pace habere; tanti non esse, ut tot millia[2] captivorum propter se unum et paucos, qui ex Romanis capti essent, redderentur. Haec sententia obtinuit. Regressus igitur in Africam crudelissimis suppliciis exstinctus est.

13. Tandem C. Lutatio Catulo, A. Postumio Coss., anno belli Punici vicesimo tertio, magnum proelium navale commissum est contra Lilybaeum,[3] promontorium Siciliae. In eo proelio septuaginta tres Carthaginiensium naves captae, centum viginti quinque demersae, triginta duo millia hostium capta, tredecim millia occisa sunt. Statim Carthaginienses pacem petierunt, eisque pax tributa est. Captivi Romanorum, qui tenebantur, a Carthaginiensibus, redditi sunt. Poeni Sicilia, Sardinia et ceteris insulis, quae intra Italiam Africamque jacent decesserunt, omnemque Hispaniam, quae citra Ibērum[4] est, Romanis permiserunt. A. V. 513.

LIBER TERTIUS.

1. Anno quingentesimo undetricesimo ingentes Gallorum copiae Alpes transierunt. Sed pro Romanis tota Italia consensit: traditumque est, octingenta millia hominum ad id bellum parata fuisse. Res prospere gesta est apud Clusium:[5] quadraginta millia hominum interfecta sunt. Aliquot annis post pugnatum est contra Gallos in agro Insubrum,[6] finitumque est bellum M. Claudio Marcello, Cn. Cornelio Scipione Coss. Tum Marcellus regem Gallorum, A. V. 529.

Viridomarum, manu sua occīdit et triumphans spolia[1] Galli, stipiti imposita, humeris suis vexit.

2. Paulo post Punicum bellum removatum est per Hannibalem, Carthaginiensium ducem, quem pater Hamilcar, novem annos natum, aris admoverat, ut odium perenne in
A. V. 536. Romanos juraret. Hic annum agens vicesimum aetatis, Saguntum,[2] Hispaniae civitatem, Romanis amicam, oppugnare aggressus est. Huic Romani per legatos denuntiaverunt, ut bello abstineret. Qui quum legatos admittere nollet, Romani Carthaginem miserunt, ut mandaretur[3] Hannibali, ne bellum contra socios populi Romani gereret. Dura responsa a Carthaginiensibus reddita. Saguntinis interea fame victis, Romani Carthaginiensibus bellum indixerunt.

3. Hannibăl, fratre Hasdrubăle in Hispania relicto, Pyrenaeum et Alpes transiit. Traditur in Italiam octoginta millia peditum, et viginti millia equitum, septem et triginta elephantos adduxisse. Interea multi Ligŭres[4] et Galli Hannibali se conjunxerunt. Primus ei occurrit P. Cornelius Scipio, qui proelio ad Ticinum[5] commisso, superatus est, et, vulnere accepto, in castra rediit. Tum Sempronius Gracchus conflixit ad Trebiam[6] amnem. Is quoque vincitur. Multi populi se Hannibali dediderunt. Inde in Tusciam[7] progressus Flaminium Cos. ad Trasimēnum[8] lacum superat. Ipse Flaminius interemtus, Romanorum viginti quinque millia caesa sunt.

4. Quingentesimo et quadragesimo anno post Urbem
A. V. 540. conditum L. Aemilius Paulus et P. Terentius Varro contra Hannibalem mittuntur. Quamquam intellectum erat, Hannibalem non aliter vinci posse, quam mora,[9] Varro tamen, morae impatiens, apud vicum, qui Cannae appellatur, in Apulia[10] pugnavit; ambo consules victi, Paulus interemtus est. In ea pugna consulares aut praetorii viginti, senatores triginta capti aut occisi, militum quadraginta millia, equitum tria millia et quingenti perierunt. In his tantis malis nemo tamen pacis mentionem facere dignatus est. Servi, quod nunquam ante factum, manumissi et milites facti sunt.

5. Post eam pugnam multae Italiae civitates, quae Romanis paruerant, se ad Hannibalem transtulerunt. Hannibal Romanis obtulit, ut captivos redimerent; responsumque est a senatu, eos cives non esse necessarios, qui armati[11] capi potuissent. Hos omnes ille postea variis suppliciis interfecit, et tres modios aureorum annulorum[12] Carthaginem misit, quos manibus equitum Romanorum, senatorum et militum detraxerat. Interea in Hispania frater Hannibalis Hasdrubal, qui

ibi remanserat cum magno exercitu, a duobus Scipionibus[1] vincitur, perditque in pugna triginta quinque millia hominum.

6. Anno quarto post quam Hannibal in Italiam venerat, M. Claudius Marcellus Cos. apud Nolam,[2] civitatem Campaniae, contra Hannibalem bene pugnavit. Illo tempore Philippus, Demetrii filius, rex Macedoniae, ad Hannibalem legatos mittit, eique auxilia contra Romanos pollicetur. Qui legati quum a Romanis capti essent, M. Valerius Laevinus cum navibus missus est, qui regem impediret, quo minus copias in Italiam trajiceret.[3] Idem in Macedoniam penetrans regem Philippum vicit.

7. In Sicilia quoque res prospere gesta est. Marcellus magnam hujus insulae partem cepit, quam Poeni[4] occupaverant; Syracusas,[5] nobilissimam urbem, expugnavit, et ingentem inde praedam Romam misit. Laevinus in Macedonia cum Philippo et multis Graeciae populis amicitiam fecit; et in Siciliam profectus, Hannonem, Poenorum ducem, apud Agrigentum cepit; quadraginta civitates in deditionem accepit, viginti sex expugnavit. Ita omni Sicilia recepta cum ingenti gloria Romam regressus est.

8. Interea in Hispaniam, ubi duo Scipiones[6] ab Hasdrubale interfecti erant, missus est P. Cornelius Scipio, vir Romanorum omnium fere primus. Hic puer duodeviginti annorum in pugna ad Ticinum[7] patrem singulari virtute servavit. Deinde post cladem Cannensem multos nobilissimorum juvenum, Italiam deserere cupientium,[8] auctoritate sua ab hoc consilio deterruit. Viginti quatuor annorum juvenis in Hispaniam missus, die, qua venit, Carthaginem novam[9] cepit, in qua omne aurum et argentum et belli apparatum Poeni habebant, nobilissimos quoque obsides, quos ab Hispanis acceperant. Hos obsides parentibus suis reddidit. Quare omnes Hispaniae civitates ad eum uno animo transierunt.

9. Ab eo inde tempore res Romanorum in dies laetiores factae sunt. Hasdrubal a fratre ex Hispania in Italiam evocatus, apud Senam,[10] Piceni[11] civitatem, in insidias incidit, et strenue pugnans occisus est. Plurimae autem civitates, quae in Bruttiis ab Hannibale tenebantur, Romanis se tradiderunt.

10. Anno decimo quarto postquam in Italiam Hannibal venerat, Scipio consul creatus et in Africam missus est. Ibi contra Hannonem, ducem Carthaginiensium prospere pugnat totumque ejus exercitum delet. Secundo proelio undecim millia hominum occidit, et castra cepit cum quatuor millibus et quingentis militibus. Syphacem, Numidiae[13] regem, qui se cum Poenis conjunxerat, cepit, A. V. 550.

eumque cum nobilissimis Numĭdis et infinitis spoliis Romam misit. Qua re audita, omnis fere Italia Hannibalem deserit. Ipse a Carthaginiensibus in Africam redire jubetur. Ita anno decimo septimo Italia ab Hannibale liberata est.

A. V. 553.

11. Post plŭres pugnas et pacem plus semel frustra tentatam, pugna ad Zamam[1] committitur, in qua peritissimi duces copias suas ad bellum educebant. Scipio victor recedit; Hannibale cum paucis equitibus evadit. Post hoc proelium pax cum Carthaginiensibus facta est. Scipio, quum Romam rediisset, ingenti gloria triumphavit, atque Africanus appellatus est. Sic finem accepit secundum Punicum bellum post annum undevicesimum quam coeperat.[2]

LIBER QUARTUS.

A. V. 556.

1. Finito Punico bello, secutum est Macedonicum contra Philippum[3] regem. Superatus est rex a T. Quinctio Flaminio apud Cynoscephalas,[4] paxque ei data est his legibus: *ne Graeciae civitatibus, quas Romani contra eum defenderant, bellum inferret; ut captivos et transfŭgas redderet; quinquaginta solum naves haberet; reliquas Romanis daret; mille talenta praestaret, et obsidem daret filium Demetrium.* T. Quinctius etiam Lacedaemoniis intulit bellum, et ducem eorum Nabidem[5] vicit.

A. V. 563.

2. Finito bello Macedonico, secutum est bellum Syriacum[6] contra Antiochum regem, cum quo Hannibal se junxerat. Missus est contra eum L. Cornelius Scipio Cos., cui frater ejus Scipio Africanus legatus[7] est additus. Hannibal navali proelio victus, Antiochus autem ad Magnesiam,[8] Asiae civitatem, a Cornelio Scipione Cos. ingenti proelio fusus est. Tum rex Antiochus pacem petit. Data est ei hac lege, *ut ex Europa et Asia*[9] *recederet, atque intra Taurum*[10] *se contineret, decem millia talentorum et viginti obsides praeberet, Hannibalem, concitorem belli, dederet.* Scipio Romam rediit et ingenti gloria triumphavit. Nomen et ipse ad imitationem fratris Asiatici accepit.

3. Philippo, rege Macedoniae, mortuo, filius ejus Perseus rebellavit, ingentibus copiis paratis. Dux Romanorum, P. Licinius Cos. contra eum missus, gravi proelio a rege victus est. Rex tamen pacem petebat. Cui Romani eam praestare noluerunt, nisi his conditionibus, ut se et suos Romanis dederet. Mox Aemilius Paulus Cos. regem ad Pydnam[11] superavit, et viginti millia peditum ejus occidit. Equitatus cum rege fugit. Urbes Macedoniae

A. V. 586.

tavit. Pastor primo fuit, mox latronum dux; postremo tantos ad bellum populos concitavit, ut vindex libertatis Hispaniae existimaretur. Denique a suis interfectus est. Quum interfectores ejus praemium a Caepione Cos. peterent, responsum est, nunquam Romanis placuisse, imperatorem a militibus suis interfici.

8. Deinde bellum exortum est cum Numantinis,[1] civitate Hispaniae. Victus ab his Qu. Pompejus, et post eum C. Hostilius Mancinus Cos., qui pacem cum iis fecit infamem, quam populus et senatus jussit infringi, atque ipsum Mancinum hostibus tradi.[2] Tum P. Scipio Africanus in Hispaniam missus est. Is primum militem ignavum et corruptum correxit:[3] tum multas Hispaniae civitates partim bello cepit, partim in deditionem accepit. Postremo ipsam Numantiam fame ad deditionem coēgit, urbemque evertit; reliquam provinciam in fidem accepit.

A. V. 621.

9. P. Scipione Nasica et L. Calpurnio Bestia Coss. Jugurthae, Numidarum regi, bellum illatum est, quod Adherbalem et Hiempsalem, Micipsae filios, patrueles suos, interemisset. Missus adversus eum Cos. Calpurnius Bestia, corruptus regis pecunia, pacem cum eo flagitiosissimam fecit, quae a senatu improbata est. Denique Qu. Caecilius Metellus Cos. Jugurtham variis proeliis vicit, elephantos ejus occidit vel cepit, multas civitates ipsius in deditionem accepit. Ei successit C. Marius, qui bello terminum posuit, ipsumque Jugurtham cepit. Ante currum triumphantis Marii Jugurtha cum duobus filiis ductus est vinctus,[4] et mox jussu consulis in carcere strangulatus.

A. V. 648.

LIBER QUINTUS.

1. Dum bellum in Numidia contra Jugurtham geritur, Cimbri et Teutŏnes[5] aliaeque Germanorum et Gallorum gentes Italiae minabantur, pluresque Romanorum exercitus fuderunt. Ingens fuit Romae timor, ne iterum[6] Galli Urbem occuparent. Ergo Marius Cos. creatus, eique bellum contra Cimbros et Teutŏnes[7] decretum est; belloque protracto,[8] tertius ei et quartus consulatus delatus est. In duobus proeliis cum Cimbris ducenta millia hostium cecīdit, octoginta milli cepit, eorumque regem Theutobochum; propter quod meri tum absens quinto consul creatus est. Interea Cimbri e Teutŏnes, quorum copia adhuc infinita erat, in Italian transierunt. Iterum a C. Mario et Qu. Catulo contr eos dimicatum est ad Veronam. Centum et quadra

A. V. 563.

ginta millia aut in pugna aut in fuga caesa sunt; sexaginta millia capta. Tria et triginta Cimbris signa sublata sunt.

2. Sexcentesimo quinquagesimo nono anno ab Urbe condita in Italia gravissimum bellum[1] exarsit. Nam Picentes, Marsi Pelignique, qui multos annos populo Romano obedierant, aequa cum illis jura[2] sibi dari postulabant. Perniciosum admodum hoc bellum fuit. P. Rutilius Cos. in eo occisus est; plures exercitus fusi fugatique. Tandem L. Cornelius Sulla cum alia egregie gessit, tum Cluentium, hostium ducem, cum magnis copiis fudit. Per quadriennium cum gravi utriusque partis calamitate hoc bellum tractum est. Quinto demum anno L. Cornelius Sulla ei imposuit finem. Romani tamen, id quod prius negaverant, jus civitatis,[3] bello finito sociis tribuerunt. A. V. 659.

3. Anno Urbis conditae sexcentesimo sexagesimo sexto primum Romae bellum civile exortum est; eodem anno etiam Mithridaticum. Causam bello civili C. Marius dedit. Nam quum Sullae bellum adversus Mithridatem, regem Ponti,[4] decretum esset, Marius ei hunc honorem eripere conatus est. Sed Sulla, qui adhuc cum legionibus suis in Italia morabatur, cum exercitu Romam venit, et adversarios cum interfecit, tum fugavit. Tum rebus Romae utcunque compositis, in Asiam profectus est, pluribusque proeliis Mithridatem coëgit, ut pacem a Romanis peteret, et Asia, quam invaserat, relicta, regni suis finibus contentus esset. A. V. 666.

4. Sed dum Sulla in Graecia et Asia Mithridatem vincit, Marius, qui fugatus fuerat,[5] et Cornelius Cinna, unus ex consulibus, bellum in Italia repararunt; et ingressi Romam, nobilissimos ex senatu, et consulares viros interficerunt; multos proscripserunt;[6] ipsius Sullae domo eversa, filios et uxorem ad fugam compulerunt. Universus reliquus senatus, ex Urbe fugiens, ad Sullam in Graeciam venit, orans, ut patriae subveniret. Sulla in Italiam trajecit, hostium exercitus vicit, mox etiam Urbem ingressus est, quam caede et sanguine civium replevit. Quatuor millia inermium, qui se dediderant, interfici jussit; duo millia equitum et senatorum proscripsit. Tum de Mithridate triumphavit. Duo haec bella funestissima, Italicum, quod et Sociale[7] dictum est, et Civile, consumserunt ultra centum et quinquaginta millia hominum, viros consulares viginti quatuor, praetorios septem, aedilitios sexaginta, senatores fere ducentos.

LIBER SEXTUS.

1. Anno Urbis conditae sexcentesimo septuagesimo
A. V. 676. sexto, L. Licinio Lucullo et M. Aurelio Cotta Coss. mortuus est Nicomedes, rex Bithyniae, et testamento populum Romanum fecit heredem. Mithridates, pace rupta, Asiam rursus voluit invadere. Adversus eum ambo consules missi variam habuere fortunam. Cotta apud Chalcedŏnem[1] victus proelio, a rege etiam intra oppidum obsessus est. Sed quum se inde Mithridates Cyzĭcum[2] transtulisset, ut hac urbe capta totam Asiam invaderet, Lucullus ei alter consul occurrit, ac dum Mithridates in obsidione Cyzici commoratur, ipse eum a tergo obsedit, fameque consumtum multis proeliis vicit. Postremo Byzantium[3] fugavit; navali quoque proelio ejus duces oppressit. Ita una hieme et aestate a Lucullo centum fere millia militum regis exstincta sunt.

2. Anno Urbis sexcentesimo septuagesimo octavo
A. V. 678. novum in Italia bellum[4] commotum est. Septuaginta enim quatuor gladiatores,[5] ducibus Spartăco, Crixo et Oenomăo, e ludo gladiatorio, qui Capuae erat, effugerunt, et per Italiam vagantes paene non levius bellum, quam Hannibal, moverunt. Nam contraxerunt exercitum fere sexaginta millium armatorum, multosque duces et duos Romanos consules vicerunt. Ipsi victi sunt in Apulia a M. Licinio Crasso proconsule, et post multas calamitates Italiae, tertio anno huic bello finis est impositus.

3. Interim L. Lucullus bellum Mithridaticum persequutus, regnum Mithridatis invasit, ipsumque regem apud Cabīra[6] civitatem, quo ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, ingenti proelio superatum fugavit, et castra ejus diripuit. Armenia quoque minor, quam tenebat, eidem erepta est. Susceptus est Mithridates a Tigrane, Armeniae rege, qui tum ingenti gloria imperabat; sed hujus quoque regnum Lucullus est ingressus; Tigranocerta nobilissimam Armeniae civitatem, cepit; ipsum regem, cum magno exercitu venientem, ita vicit, ut robur militum Armeniorum deleret. Sed quum Lucullus finem bello imponere pararet, successor[7] ei missus est.

4. Per illa tempora piratae[8] omnia maria infestabant ita, ut Romanis, toto orbe terrarum victoribus, sola navigatio tuta
A. V. 687. non esset. Quare id bellum Cn. Pompejo decretum est, quod intra paucos menses incredibili felicitate et celeritate confecit. Mox ei delatum bellum contra re-

gem Mithridatem et Tigranem. Quo suscepto, Mithridatem in Armenia minore nocturno proelio vicit, castra diripuit, et quadraginta millibus ejus occisis, viginti tantum de exercitu suo perdidit et duos centuriones. Mithridates fugit cum uxore et duobus comitibus, neque multo post, Pharnacis filii sui seditione coactus, venenum hausit.[1] Hunc vitae finem habuit Mithridates, vir ingentis industriae atque consilii. Regnavit annis sexaginta, vixit septuaginta duobus; contra Romanos bellum habuit annis quadraginta.

5. Tigrani deinde Pompejus bellum intulit. Ille se ei dedidit, et in castra Pompeji venit, ac diadēma suum in ejus manibus collocavit, quod ei Pompejus reposuit. Parte regni eum multavit et grandi pecunia. Tum alios etiam reges et populos superavit. Armeniam minorem Dejotăro, Galatiae[2] regi, donavit, quia auxilium contra Mithridatem tulerat. Seleuciam, vicinam Antiochīae civitatem, libertate donavit, quod regem Tigranem non recepisset.[3] Inde in Judaeam[4] transgressus, Hierosolŷmam, caput gentis, tertio mense cepit, duodecim millibus Judaeorum occisis, ceteris in fidem receptis. His gestis finem antiquissimo bello imposuit. Ante triumphantis currum ducti sunt filii Mithridatis, filius Tigranis, et Aristobūlus, rex Judaeorum. Praelata ingens pecunia, auri atque argenti infinitum.[5] Hoc tempore nullum per orbem terrarum grave bellum erat.

6. M. Tullio Cicerone oratore et C. Antonio Coss. anno ab Urbe condita sexcentesimo undenonagesimo, A. V. 689. L. Sergius Catilina,[6] nobilissimi generis vir, sed ingenii pravissimi, ad delendam patriam conjuravit cum quibusdam, claris quidem, sed audacibus viris. A Cicerone urbe expulsus est, socii ejus deprehensi et in carcere strangulati sunt. Ab Antonio, altero consule, Catilina ipse proelio victus est et interfectus.

7. Anno Urbis conditae sexcentesimo nonagesimo tertio C. Julius Caesar cum L. Bibulo consul est factus. A. V. 693. Quum ei Gallia decreta esset, semper vincendo usque ad Oceanum Britannicum processit. Domuit autem annis novem fere omnem Galliam, quae inter Alpes, flumen Rhodănum, Rhenum et Oceanum est. Britannis mox bellum intulit, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat; Germanos quoque trans Rhenum aggressus, ingentibus proeliis vicit.

8. Circa eadem tempora M. Licinius Crassus contra Parthos[7] missus est. Et quum circa Carras[8] contra omina et auspicia[9] proelium commisisset, a Surena, Orodis regis duce, victus et interfectus est cum filio, claris- A. V. 700.

simo et praestantissimo juvene. Reliquiae exercitus per C. Cassium quaestorem servatae sunt.

9. Hinc jam bellum civile successit, quo Romani
A. V. 705. nominis[1] fortuna mutata est. Caesar enim victor e Gallia rediens, absens[2] coepit poscere alterum consulatum; quem quum aliqui sine dubitatione deferrent, contradictum est a Pompejo et aliis, jussusque est, dimissis exercitibus, in urbem redire. Propter hanc injuriam ab Arimino,[3] ubi milites congregatos habebat infesto exercitu Romam contendit. Consules cum Pompejo, senatusque omnis atque universa nobilitas ex urbe fugit et in Graeciam transiit; et, dum senatus bellum contra Caesarem parabat, hic, vacuam urbem ingressus, dictatorem[4] se fecit.

10. Inde Hispanias[5] petit, ibique Pompeji legiones superavit; tum in Graecia adversum Pompejum ipsum dimicavit. Primo proelio[6] victus est et fugatus; evasit tamen, quia nocte interveniente Pompejus sequi noluit; dixitque Caesar, nec Pompejum scire vincere, et illo tantum die se potuisse superari. Deinde in Thessalia apud Pharsālum[7] ingentibus utrinque copiis commissis dimicaverunt. Nunquam adhuc Romanae copiae majores, neque melioribus ducibus convenerant. Pugnatum est ingenti contentione, victusque ad postremum Pompejus, et castra ejus direpta sunt. Ipse fugatus Alexandriam[8] petiit, ut a rege Aegypti,[9] cui tutor a senatu datus fuerat, acciperet auxilia. At hic fortunam magis, quam amicitiam, secutus, occīdit Pompejum, caput ejus et annulum Caesari misit. Quo conspecto, Caesar lacrymas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, et generi[10] quondam sui.

11. Quum ad Alexandriam venisset Caesar, Ptolemaeus ei insidias parare voluit; qua de causa regi bellum illatum est. Rex victus in Nilo periit, inventumque est corpus ejus cum lorica aurea. Caesar Alexandria potitus, regnum Cleopatrae[11] dedit. Tum inde profectus Pompejanarum partium reliquias est persequutus, bellisque civilibus toto terrarum orbe compositis, Romam rediit. Ubi quum insolentius[12] agere coepisset, conjuratum est in eum a sexaginta vel amplius senatoribus, equitibusque Romanis. Praecipui fuerunt inter conjuratos Bruti duo,[13] ex genere illius Bruti, qui, regibus expulsis, primus Romae consul fuerat, C. Cassius et Servilius
A. V. 709. Casca. Ergo Caesar, quum in curiam venisset, viginti tribus vulneribus confossus est.

12. Interfecto Caesare, anno Urbis septingentesimo nono, bella civilia reparata sunt. Senatus favebat Caesaris percussoribus, Antonius Cos. Caesaris partibus stabat. Ergo turbata republica, Antonius, multis sceleribus commissis, a se-

natu hostis judicatus est. Fusus[1] fugatusque Antonius, amisso exercitu, confugit ad Lepidum,[2] qui Caesari magister equitum fuerat, et tum grandes copias militum habebat; a quo susceptus est. Mox Octavianus[3] cum Antonio pacem fecit, et quasi vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus extorsit, ut sibi juveni viginti annorum consulatus daretur. Tum junctus cum Antonio et Lepido rempublicam armis tenere coepit, senatumque proscripsit.[4] Per hos etiam Cicero orator occisus est multique alii nobiles.

13. Interea Brutus et Cassius,[5] interfectores Caesaris, ingens bellum moverunt. Profecti contra eos Caesar Octavianus, qui postea Augustus est appellatus, et M. Antonius, apud Philippos,[6] Macedoniae urbem, contra eos pugnaverunt. Primo proelio victi sunt Antonius et Caesar; periit tamen dux nobilitatis Cassius; secundo Brutum et infinitam nobilitatem, quae cum illis bellum susceperat, victam interfecerunt. Tum victores rempublicam ita inter se diviserunt, ut Octavianus Caesar Hispanias, Gallias,[7] Italiam teneret; Antonius Orientem, Lepidus[8] Africam acciperet. A. V. 712.

14. Paulo post Antonius, repudiata sorore Caesaris Octaviani, Cleopatram, reginam Aegypti, uxorem duxit. Ab hac incitatus ingens bellum commovit, dum Cleopatra cupiditate muliebri optat Romae regnare. Victus est ab Augusto[9] navali pugna clara et illustri apud Actium,[10] qui locus in Epiro est. Hinc fugit in Aegyptum, et desperatis rebus, quum omnes ad Augustum transirent, se ipse interemit. Cleopatra quoque aspidem[11] sibi admisit, et veneno ejus exstincta est. Ita bellis toto orbe confectis, Octavianus Augustus Romam rediit anno duodecimo quam consul fuerat. Ex eo inde tempore rempublicam per quadraginta et quatuor annos solus obtinuit. Ante enim duodecim annis cum Antonio et Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus ejus usque ad finem quinquaginta sex anni fuere. A. V. 723.

VI. OF THE GEOGRAPHY AND THE NATIONS OF ANTIQUITY.

1. Universus terrarum orbis in tres partes dividitur, Europam, Asiam, Africam. Europa ab Africa sejungitur freto Gaditano,[1] in cujus utrāque parte montes sunt altissimi, Abȳla in Africa, in Europa Calpe, qui montes[2] Herculis columnæ[3] appellantur. Per idem fretum mare internum, quod littoribus Europae, Asiae et Africae includitur, jungitur cum Oceano.

2. Europa terminos habet ab oriente Tanăim[4] fluvium, Pontum Euxīnum[5] et paludem Maeotĭda;[6] a meridie, mare internum: ab occidente, mare Atlanticum sive Oceanum; a septentrione, mare Britannicum.[7] Mare internum tres maximos sinus habet. Quorum is, qui Asiam a Graecia sejungit Aegaeum[8] mare vocatur: secundus, qui est inter Graeciam et Italiam, Ionium; tertius denique, qui occidentales Italiae oras alluit, a Romanis Tuscum, a Graecis Tyrrhenum[9] mare appellatur.

3. In ea Europae parte, quae ad occasum vergit, prima terrarum est Hispania, quae a tribus lateribus mari circumdăta, per Pyrenaeos montes cum Gallia cohaeret. Quum universa Hispania dives sit et fecunda, ea tamen regio, quae a flumine Baeti[10] Baetica vocatur, ceteras fertilitate antecellit. Ibi Gades sitae, insula cum urbe a Tyriis condĭta,[11] quae freto Gaditano nomen dedit. Tota illa regio viris, equis, ferro, plumbo, aere, argento, auroque abundat, et ubi penurâ aquarum minus est fertilis, linum tamen aut spartum alit. Marmŏris quoque lapicidīnas habet. In Baetica minium reperitur.

4. Gallia posita est inter Pyrenaeos montes et Rhenum; orientalem oram Tuscum mare alluit, occidentalem Oceanus. Ejus pars illa, quae Italiae est opposita et Narbonensis,[12] vocatur, omnium est laetissima. In ea ora sita est Massilia[13] urbs a Phocaeis condita, qui, patriâ a Persis devictâ, quum servitutem ferre non possent, Asiâ relictâ, novas in Europa sedes quaesiverant. Ibidem est campus lapideus, ubi Hercules dicitur contra Neptuni liberos dimicasse.[14] Quum tela defecissent, Jupiter filium imbre lapidum adjuvit. Credas pluisse;[15] adeo multi passim jacent.

geribusque munitas non habent. Ipsas domos ad breve tempus struunt, non lapidibus aut lateribus coctis, sed lignis, quae frondibus tegunt. Nam diu eodem in loco morari periculosum arbitrantur libertati.

12. Agriculturae Germani non admodum student, nec quisquam agri modum certum aut fines proprios habet. Lacte vescuntur et caseo et carne. Ubi fons, campus nemusve iis placuerit, ibi domos figunt, mox alio transituri[1] cum conjugibus et liberis. Interdum etiam hiemem in subterraneis specubus dicuntur transigere.

13. Germania altis montibus, silvis paludibusque invia redditur. Inter silvas maxima est Hercynia,[2] cujus latitudinem Caesar novem dierum iter patere narrat.[3] Insequenti tempore magna pars ejus excisa est. Flumina sunt in Germania multa et magna. Inter haec clarissimum nomen Rheni, de quo supra diximus, et Danubii.[4] Clari quoque amnes, Moenus,[5] Visurgis,[6] Albis.[7] Danubius, omnium Europae fluviorum maximus; apud Rhaetos[8] oritur, flexoque ad ortum solis cursu, receptisque sexaginta amnibus, in Pontum Euxinum sex vastis ostiis effunditur.

14. Britanniam insulam Phoenicibus innotuisse, eosque stannum inde et plumbum pellesque petivisse, probabile est. Romanis eam Julius Caesar primus aperuit;[9] neque tamen prius cognita esse coepit, quam Claudio imperante.[10] Hadrianus eam, muro[11] ab Oceano Germanico ad Hibernicum mare ducto, in duas partes divisit, ut inferiorem insulae partem, quae Romanis parebat, a barbarorum populorum, qui in Scotia habitabant, incursionibus tueretur.

15. Maxima insulae pars campestris, collibus, passim silvisque distincta. Incolae Gallos proceritate corporum vincunt, ceterum ingenio Gallis similes, simpliciores tamen illis magisque barbari. Nemora habitant pro urbibus. Ibi tuguria exstruunt et stabula pecori, sed plerumque ad breve tempus. Humanitate ceteris praestant ii, qui Cantium[12] incolunt. Tota haec regio est maritima. Qui interiorem insulae partem habitant, frumenta non serunt; lacte et carne vivunt. Pro vestibus induti sunt pellibus.

16. Italia ab Alpibus usque ad fretum Siculum porrigitur inter mare Tuscum et Adriaticum. Multo longior est quam latior.[13] In medio se attollit Apenninus mons, qui, postquam continenti jugo progressus est usque ad Apuliam, in duos quasi ramos[14] dividitur. Nobilissima regio ob fertilitatem soli, coelique salubritatem. Quum longe in mare procurrat, plurimos habet portus, populorum inter se patentes commercio. Neque ulla

facile est regio, quae tot tamque pulcras urbes habeat, inter quas Roma et magnitudine et nominis fama eminet.

17. Haec urbs, orbis terrarum caput, septem montes complectitur. Initio quatuor portas habebat; Augusti aevo triginta septem. Urbis magnificentiam augebant fora, templa, porticus, aquaeductus, theatra, arcus triumphales, horti denique, et id genus[1] alia, ad quae vel lecta[2] animus stupet. Quare recte de ea praedicare videntur, qui nullius urbis in toto orbe terrarum magnificentiam ei comparari posse dixerunt.

18. Felicissima in Italia regio est Campania. Multi ibi vitifĕri colles, ubi nobilissima vina gignuntur, Setīnum, Caecŭbum, Falernum, Massicum. Calidi ibidem fontes saluberrimi.[3] Nusquam generosior olea. Conchylio quoque et pisce nobili maria vicina scatent.

19. Clarissimi amnes Italiae sunt Padus[4] et Tibĕris. Et Padus quidem in superiore parte, quae Gallia Cisalpina[5] vocatur, ab imis radicibus Vesuli[6] montis exoritur; primum exilis, deinde aliis amnibus ita alitur, ut se per septem ostia in mare effundat. Tiberis, qui antiquissimis temporibus Albŭlae nomen habebat, ex Apennino oritur; deinde duobus et quadraginta fluminibus auctus, fit navigabilis. Plurimas in utraque ripa villas adspicit, praecipue autem urbis Romanae magnificentiam.[7] Placidissimus amnium raro ripas egreditur.

20. In inferiore parte Italiae clara quondam urbs Tarentum,[8] quae maris sinui, cui adjacet, nomen dedit. Soli fertilitas coelique jucunda temperies in causa fuisse videtur, ut incolae luxuria et deliciis enervarentur. Quumque aliquamdiu potentia florerent copiasque haud contemnendas alerent, peregrinis tamen plerumque ducibus in bellis utebantur, ut Pyrrho, rege Epīri, quo superato,[9] urbs in Romanorum potestatem venit.

21. Proxima Italiae est Sicilia, insula omnium maris interni maxima. Antiquissimis temporibus eam cum Italiae cohaesisse, marisque impetu, aut terrae motu inde divulsam esse, verisimile est. Forma triangularis, ita ut litterae, quam Graeci Δέλτα vocant, imaginem referat. A tribus promontoriis vocatur Trinacria.[10] Nobilissimus ibi mons Aetnae, qui urbi Catănae imminet, tum ob altitudinem, tum etiam ob ignes, quos effundit; quare Cyclōpum[11] in illo monte officinam esse poëtae dicunt. Cineres e crateribus egesti[12] agrum circumjacentem fecundum et feracem reddere existimantur. Sunt ibi Piorum campi, qui nomen habent a duobus juvenibus Catanensibus, qui, flammis quondam repente ingruentibus, parentes senectute confectos, humeris sublatos[13] flammae eripuisse feruntur. Nomina fratrum Amphinŏmus et Anāpus fuerunt.

22. Inter urbes Siciliae nulla est illustrior Syracusis, Corin-

thiorum colonia, ex quinque urbibus conflata. Ab Atheniensibus bello petita,[1] maximas hostium copias delevit: Carthaginienses etiam magnis interdum cladibus affecit. Secundo bello Punico[2] per triennium oppugnata, Archimēdis[3] potissimum ingenio et arte defensa, a M. Marcello capta est. Vicinus huic urbi fons Arethusae Nymphae sacer, ad quam Alphēus amnis ex Peloponneso per mare Ionium lapsus comissari dicitur; nam si quid ad Olympiam[4] in illum amnem jactum fuerit, id in Arethusae fonte reddi.[5] De illa fabula quid statuendum sit, sponte apparet.

23. In mari Ligustico insula est Corsica, quam Graeci Cyrnum vocant. Terra aspera multisque locis invia, coelum grave, mare circa importunum. Incolae latrociniis dediti, feri sunt et horridi. Mella quoque illius insulae amara esse dicuntur corporibusque nocere. Proxima ei est Sardinia, quae a Graecis mercatoribus Ichnusa vocatur, quia formam humani vestigii[6] habet. Solum quam coelum melius. Illud fertile, hoc grave ac noxium. Noxia quoque animalia herbasque venenatas gignit. Multum inde frumenti Romam mittitur; unde haec insula et Sicilia nutrīces Urbis vocantur.

24. Graecia nominis celebritate omnes fere alias orbis terrarum regiones superavit. Nulla enim magnorum ingeniorum fuit feracior; neque ulla belli pacisque artes majore studio excoluit. Plurimas eadem colonias in omnes terrae partes deduxit. Multum itaque terra marique valuit, et gravissima bella magna cum gloria gessit.

25. Graecia inter Ionium et Aegaeum mare porrigitur. In plurimas regiones divisa est, quarum amplissimae sunt Macedonia et Epīrus[7]—quamquam hae a nonnulis a Graecia sejunguntur[8]—tum Thessalia. Macedoniam Philippi et Alexandri regnum illustravit; quorum ille Graeciam subegit, hic Asiam latissime domuit, ereptumque Persis imperium in Macedŏnes transtulit.[9] Centum ejus regiones et quinquaginta urbes numerantur; quarum septuaginta duas, Persĕo, ultimo Macedoniae rege, superato[10] Paulus Aemilius diripuit.

26. Epirus, quae ab Acroceraunīis incipit montibus,[11] desĭnit in Achelōo flumine. Plures eam populi incolunt. Illustris ibi Dodōna in Molossorum finibus vetustissimo Jovis oraculo inclŷta. Columbae ibi ex arboribus oracula dedisse narrantur: quercusque ipsas et lebētes aeneos inde suspensos deorum voluntatem tinnītu significasse[12] fama est.

27. Achelōi fluvii ostiis insulae aliquot objăcent, quarum maxima est Cephallenia.[13] Multae praeterea insulae littori Epiri adjacent, interque eas Corcȳra,[14] quam Homerus Scheriam appellasse existimatur. In hac Phaeācas posuit ille et

hortos Alcinŏi. Colonĭam huc deduxerunt Corinthii, quo tempore[1] Numa Pompilius[2] Romae regnavit. Vicina ei Ithăca,[3] Ulyssis patria, aspera montibus, sed Homeri carminibus adeo nobilitata, ut ne fertilissimis quidem regionibus cedat.

28. Thessalia late patet inter Macedoniam et Epirum, fecunda regio, generosis praecipue equis excellens, unde Thessalorum equitatus celeberrimus. Montes ibi memorabiles Olympus, in quo deorum sedes esse existimatur, Pelĭon et Ossa, per quos[4] Gigantes coelum petivisse dicuntur; Oeta denique, in cujus vertice Hercules, rogo conscenso, se ipsum cremavit. Inter Ossam et Olympum Penēus,[5] limpidissimus amnis, delabitur, vallem amoenissimam, Tempe[6] vocatam irrĭgans.

29. Inter reliquas Graeciae regiones nominis claritate eminet Attica, quae etiam Atthis vocatur. Ibi Athenae,[7] de qua urbe deos[8] inter se certasse fama est. Certius est, nullam unquam urbem tot poëtas tulisse, tot oratores, tot philosophos, totque in omni virtutis genere claros viros. Res autem bello eas[9] gessit, ut huic soli gloriae studere videretur; pacisque artes ita excoluit, ut hac laude magis etiam quam belli gloria splenderet. Arx ibi sive Acropolis, urbi immĭnens, unde latus in mare prospectus patet. Per propylaea[10] ad eam adscenditur, splendidum Periclis opus. Cum ipsa urbe per longos muros[11] conjunctus est portus Piraeeus, post bellum Persicum secundum a Themistocle munitus. Tutissima ibi statio navium.

30. Atticam attingit Boeotia, fertilissima regio. Incolae magis corpŏribus valent, quam ingeniis. Urbs celeberrima Thebae, quas Amphīon, musices ope,[12] moenibus cinxisse dicitur. Illustravit eam Pindari poëtae ingenium, Epaminondae virtus.[13] Mons ibi Helĭcon, Musarum sedes, et Cithaeron, plurimis poëtarum fabulis celebratus.

31. Boeotiae Phocis finitima, ubi Delphi urbs clarissima. In qua urbe oraculum Apollinis quantam apud omnes gentes auctoritatem habuerit, quot quamque praeclara munera ex omni fere terrarum orbe Delphos missa fuerint, nemo ignorat.[14] Imminet urbi Parnassus mons, in cujus verticibus Musae habitare dicuntur, unde aqua fontis Castalii poëtarum ingenia inflammare existimatur.

32. Cum ea parte Graeciae, quam hactenus descripsimus, cohaeret ingens peninsula, quae Peloponnēsus[15] vocatur, platăni folio simillima. Angustus ille trames inter Aegaeum mare et Ionium, per quem cum Megarĭde cohaeret, Isthmus[16] appellatur. In eo templum Neptuni est, ad quod ludi celebrantur Isthmici.[17] Ibīdem in ipso Peloponnesi aditu, Corin-

thus sita est, urbs antiquissima, ex cujus summa arce (Acro corinthon appellant) utrumque mare conspicitur. Quum opi bus floreret, maritimisque valeret copiis, gravia bella gessit In bello Achaico,[1] quod Romani cum Graecis gesserunt, pul cherrima urbs, quam Cicero Graeciae lumen appellat, a L Mummio expugnata funditusque deleta est. Restituit ea Julius Caesar, colonosque eo milites veteranos misit.

33. Nobilis est in Peloponneso urbs Olympia, templo Jovi Olympii ac statua illustris. Statua ex ebore facta, Phidia summi artificis opus praestantissimum. Prope illud templun ad Alphēi fluminis ripas ludi celebrantur Olympici, ad quo videndos ex tota Graecia concurritur. Ab his ludis Graec gens res gestas suas numerat.[2]

34. Nec Sparta praetereunda est, urbs nobilissima, quam Lycurgi leges,[3] civiumque virtus et patientia illustravit. Nulla fere gens bellica laude magis floruit, pluresque viros fortes constantesque genuit. Urbi imminet mons Taygĕtus,[4] qui usque ad Arcadiam procurrit. Proxime urbem Eurōtas fluvius delabitur, ad cujus ripas Spartani se exercere solebant. In Sinum Laconicum effunditur. Haud procul inde abest promontorium Taenărum, ubi altissimi specus, per quos Orphĕum[5] ad inferos descendisse narrant.

35. Mare Aegaeum, inter Graeciam Asiamque patens, plurimis insulis distinguitur. Illustres inter eas sunt Cyclădes,[6] sic appellatae, quia in orbem jacent. Media earum est Delus,[7] quae repente e mari enata esse dicitur. In ea insula Latōna Apollinem et Dianam peperit, quae numina ibi una cum matre summa religione coluntur. Urbi imminet Cynthus, mons excelsus et arduus. Inōpus amnis pariter cum Nilo decrescere et augeri dicitur. Mercatus in Delo celeberrimus, quod ob portus commoditatem templique religionem mercatores ex toto orbe terrarum eo confluebant. Eandem ob causam civitates Graeciae, post secundum Persicum bellum, tributa ad belli usum in eam insulam, tamquam in commune totius Graeciae aerarium, conferebant; quam pecuniam insequenti tempore Athenienses in suam urbem transtulerunt.[8]

36. Euboea[9] insula littori Boeotiae et Atticae praetenditur, angusto freto a continenti distans. Terrae motu a Boeotia avulsa esse creditur: saepius eam concussam esse constat. Fretum, quo a Graecia sejungitur, vocatur Eurīpus, saevum et aestuosum mare, quod continuo motu agitatur. Nonnulli dicunt, septies quovis die, statis temporibus, fluctus alterno motu agitari: alii hoc negant, dicentes, mare temere,[10] in venti modum, huc illuc moveri. Sunt, qui narrent, Aristotelem phi-

losophum, quia hujus miraculi causas investigare non posset, aegritudine confectum esse.

37. Jam ad boreales regiones pergamus. Supra Macedoniam Thracia porrigitur a Ponto Euxino usque ad Illyriam. Regio frigida et in iis tantum partibus fecundior, quae propiores sunt mari. Pomiferae arbores rarae; frequentiores vites; sed uvae non maturescunt, nisi frigus studiose arcetur. Sola Thasus, insula littori Thraciae adjacens, vino excellit. Amnes sunt celeberrimi Hebrus, ad quem Orpheus a Maenadibus discerptus esse dicitur; Nestus et Strymon. Montes altissimi, Haemus, ex cujus vertice Pontus et Adria conspicitur; Rhodŏpe et Orbēlus.

38. Plures Thraciam gentes incolunt, et nominibus diversae et moribus. Inter has Getae omnium sunt ferocissimi et ad mortem paratissimi. Animas enim post mortem redituras existimant. Recens nati apud eos deflentur; funera autem cantu lusuque celebrantur. Plures singuli uxores habent.[1] Hae omnes, viro defuncto, mactari simulque cum eo sepeliri cupiunt, magnoque id certamine a judicibus[2] contendunt. Virgines non a parentibus traduntur viris, sed aut publice ducendae[3] locantur, aut veneunt. Formosae in pretio sunt; ceterae maritos mercede data inveniunt.[4]

39. Inter urbes Thraciae memorabile est Byzantium,[5] ad Bospŏrum Thracium,[6] urbs natura munita et arte, quae cum ob soli fertilitatem, tum ob vicinitatem maris omnium rerum, quas vita requirit, copia abundat. Nec Sestos praetereunda est silentio, urbs ad Hellespontum[7] posita, quam amor Herus et Leandri[8] memorabilem reddidit; nec Cynossēma,[9] tumulus Hecŭbae,[10] ubi illa, post Trojam dirŭtam, in canem mutata et sepulta esse dicitur. Nomen etiam habet in iisdem regionibus urbs Aenos, ab Aenēa,[11] e patria profugo, condita; Zone, ubi nemora Orpheum canentem secuta esse narrantur; Abdēra denique, ubi Diomēdes rex advenas equis suis devorandos[12] objiciebat, donec ipse ab Hercule iisdem objectus est. Quae urbs quum ranarum muriumque multitudine infestaretur, incolae, relicto patriae solo, novas sedes quaesiverunt. Hos Cassander,[13] rex Macedoniae, in societatem accepisse, agrosque in extrema Macedonia[14] assignasse[15] dicitur.

40. Jam de Scythis pauca dicenda sunt. Terminatur Scythia[16] ab uno latere Ponto Euxino, ab altero montibus Rhipaeis, a tergo, Asia et Phaside flumine. Vasta regio nullis fere intus finibus dividitur. Scythae enim nec agrum exercent, nec certas sedes habent, sed armenta et pecora pascentes, per incultas solitudines errare solent. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt. Lacte et melle vescuntur; aurum et argen-

tum, cujus nullus apud eos usus est, aspernantur. Corpora pellibus vestiunt.

41. Diversae sunt Scytharum gentes diversique mores. Sunt, qui funera parentum festis sacrificiis celebrent, eorumque capitibus affabre expolitis auroque vinctis pro poculis utantur. Agathyrsi ora et corpora pingunt, idque tanto magis, quanto quis illustrioribus gaudet majoribus.[1] Ii, qui Tauricam Chersonesum[2] incolunt, antiquissimis temporibus advenas Dianae mactabant. Interius habitantes ceteris rudiores sunt. Bella amant, et quo quis plures hostes interemerit, eo majore existimatione apud suos habetur. Ne foedera quidem incruenta sunt. Sauciant se qui paciscuntur, sanguinemque permistum degustant. Id fidei pignus certissimum esse putant.

42. Maxima fluminum Scythicorum sunt Ister, qui et Danubius vocatur, et Borysthenes.[3] De Istro supra dictum est. Borysthenes, ex ignotis fontibus ortus, liquidissimas aquas trahit et potatu jucundas. Placidus idem laetissima pabula alit. Magno spatio navigabilis juxta urbem Borysthenida in Pontum effunditur.

43. Ultra Rhipaeos montes et Aquilonem gens habitare existimatur felicissima; Hyperboreos[4] appellant. Regio aprica, felix coeli temperies omnique afflatu noxio carens. Semel in anno sol iis oritur solstitio, bruma semel occidit.[5] Incolae in nemoribus et lucis habitant; sine omni[6] discordia et aegritudine vivunt. Quum vitae eos taedet,[7] epulis sumtis ex rupe se in mare praecipitant. Hoc enim sepulturae genus beatissimum esse existimant.

44. Asia ceteris terrae partibus est amplior. Oceanus eam alluit, ut locis, ita nominibus differens; Eous ab oriente, a meridie Indicus, a septentrione Scythicus. Asiae nomine[8] appellatur etiam peninsula, quae a mari Aegaeo usque ad Armeniam patet. In hac parte est Bithynia ad Propontidem sita, ubi Granicus in mare effunditur, ad quem amnem[9] Alexander, rex Macedoniae, primam victoriam de Persis reportavit.[10] Trans illum amnem sita est Cyzicus in cervice peninsulae,[11] urbs nobilissima, a Cyzico appellata, qui in illis regionibus ab Argonautis pugna occisus est.[12] Haud procul ab illa urbe Rhyndacus in mare effunditur, circa quem angues nascuntur, non solum ob magnitudinem mirabiles, sed etiam ob id, quod, quum ex aqua emergunt et hiant, supervolantes aves absorbent.[13]

45. Propontis cum Ponto jungitur per Bosporum, quod fretum quinque stadia latum, Europam ab Asia separat. Ipsis in faucibus Bospori oppidum est Chalcedon, ab Archia, Megarensium principe, et templum Jovis, ab Jasone[14] conditum.

ci nomen habet. Fluvius ibi Cydnus, aquâ limpidissimâ et frigidissimâ, in quo Alexander Macĕdo quum lavaret,[1] parum abfuit, quin frigore enecaretur. Antrum Corycium in iisdem regionibus ob singularem naturam memorabile est. Ingenti illud hiatu patet in monte arduo, alteque demissum undique viret lucis[2] pendentibus. Ubi ad ima perventum est rursus aliud antrum aperitur. Ibi sonĭtus cymbalorum ingredientes terrere dicitur.[3] Totus hic specus augustus est et vere sacer, et a Diis habitari existimatur.

51. E Cilicia egressos Syria excipit, cujus pars est Phoenĭce in littore maris interni posita. Hanc regionem sollers hominum genus colit. Phoenices enim litterarum formas a se inventas aliis populis tradiderunt; alias etiam artes, quae ad navigationem et mercaturam spectant, studiose coluerunt. Ceterum fertilis regio crebrisque fluminibus rigata, quorum ope terrae marisque opes facili negotio inter se permutantur. Nobilissimae Phoenices urbes Sidon, antequam a Persis caperetur, maritimarum urbium maxima, et Tyrus, aggere cum terra conjuncta.[4] Purpura hujus urbis omnium pretiosissima. Conficitur ille color ex succo in conchis, quae etiam purpurae vocantur, latente.

52. Ex Syria descenditur in Arabiam, peninsulam inter duo maria, Rubrum et Persicum, porrectam. Hujus ea pars, quae ab urbe Petra Petraeae nomen accepit, plane est sterilis; hanc excipit ea, quae ob vastas solitudines deserta vocatur. His partibus adhaeret Arabia felix, regio angusta, sed cinnămi, thuris aliorumque odorum feracissima. Multae ibi gentes sunt, quae fixas sedes non habeant, Nomădes a Graecis appellatae. Lacte et carne ferina vescuntur. Multi etiam Arăbum populi latrociniis vivunt.[5] Primus e Romanis Aelius Gallus in hanc terram cum exercitu penetravit.[6]

53. Camelos inter armenta pascit Oriens. Duo harum sunt genera, Bractrianae et Arabiae.[7] Illae bina habent in dorso tubera, hae singula; unum autem sub pectore, cui incumbant. Dentium ordine superiore carent. Sitem quatriduo tolerant; aquam antequam bibant, pedibus turbant. Vivunt quinquagenis annis; quaedam etiam centenis.

54. Ex Arabia pervenitur in Babyloniam, cui Babylon nomen dedit, Chaldaicarum gentium caput, urbs et magnitudine et divitiis clara. Semiramis eam condiderat, vel, ut multi crediderunt, Belus, cujus regia ostenditur. Murus exstructus laterculo coctĭli, triginta et duos pedes est latus, ita ut quadrigae inter se occurrentes sine periculo commeare dicantur; altitudo ducentorum pedum; turres autem denis pedibus quam murus altiores sunt. Totius operis ambitus sexaginta millia

passuum complectitur. Mediam urbem permeat Euphrātes. Arcem habet viginti stadiorum ambitu;[1] super ea pensiles horti conspiciuntur, tantaeque sunt moles[2] tamque firmae, ut onera nemorum sine detrimento ferant.

55. Amplissima Asiae regio India primum patefacta est armis Alexandri Magni, regis Macedoniae, cujus exemplum successores[3] secuti in interiora Indiae penetraverunt. In eo tractu, quem Alexander subegit, quinque millia oppidorum fuisse, gentesque novem, Indiamque tertiam partem esse terrarum omnium, ejus comites scripserunt. Ingentes ibi sunt amnes, Indus et Indo major Ganges. Indus in Paropamiso[4] ortus undeviginti amnes recipit, totidem Ganges, interque eos plures navigabiles.

56. Maxima in India gignuntur animalia. Canes ibi grandiores ceteris. Arbores tantae proceritatis esse traduntur, ut sagittis superjăci nequeant. Hoc efficit ubertas soli, temperies coeli, aquarum abundantia. Immanes quoque serpentes alit, qui elephantos morsu et ambitu corporis[5] conficiunt. Solum tam pingue et ferax, ut mella frondibus defluant, sylvae lanas ferant[6] arundinum internodia fissa cymbarum usum praebeant, binosque, quaedam etiam ternos homines, vehant.

57. Incolarum habitus moresque diversi. Lino alii vestiuntur et lanis arborum, alii ferarum aviumque pellibus, pars nudi incedunt. Quidam animalia occidere eorumque carnibus vesci nefas putant; alii piscibus tantum aluntur. Quidam parentes et propinquos, prius quam annis et macie conficiantur, velut hostias caedunt eorumque visceribus epulantur; ubi senectus eos morbusve invadit, mortem in solitudine aequo animo exspectant. Ii, qui sapientiam profitentur, ab ortu solis ad occasum stare solent, solem immobilibus oculis intuentes; ferventibus arenis toto die alternis pedibus insistunt.[7] Mortem non exspectant, sed sponte arcessunt, in rogos incensos se praecipitantes.[8]

58. Maximos India elephantos gignit, adeoque feroces, ut Afri elephanti illos paveant, nec contueri audeant. Hoc animal cetera omnia docilitate superat. Discunt arma jacere, gladiatorum more congredi, saltare et per funes incedere. Plinius[9] narrat, Romae unum segnioris ingenii saepius castigatum esse verberibus, quia tardius accipiebat, quae tradebantur; eundem repertum esse noctu eadem meditantem.[10] Elephanti gregatim semper ingrediuntur. Ducit agmen maximus natu, cogit is, qui aetate ei est proximus. Amnem transituri minimos praemittunt. Capiuntur foveis. In has ubi elephas deciderit, ceteri ramos congerunt, aggeres construunt, omnique vi conantur extrahere. Domantur fame et verberibus. Domiti militant et turres armatorum in hostes ferunt, magnāque ex parte[11]

Orientis bella conficiunt. Totas acies prosternunt, armatos proterunt. Ingens dentibus pretium. In Graecia ebur ad deorum simulacra tanquam pretiosissima materia adhibetur;[1] in extremis Africae postium vicem in domiciliis praebet, sepesque in pecorum stabulis elephantorum dentibus fiunt. Inter omnia animalia maxime oderunt murem. Infestus elephanto etiam rhinoceros, qui nomen habet a cornu, quod in naso gerit. In pugna maxime adversarii alvum petit, quam scit esse molliorem. Longitudine elephantum fere exaequat; crura multo breviora: color buxeus.

59. Etiam psittacos India mittit. Haec avis humanas voces optime reddit. Quum loqui discit, ferreo radio verberatur, aliter enim non sentit ictus. Capiti ejus eadem est duritia, quae rostro. Quum devolat, rostro se excipit,[2] eique innititur.

60. Testudines tantae magnitudinis Indicum mare emittit, ut singularum testis casas intĕgant. Insulas rubri praecipue maris his navigant cymbis.[3] Capiuntur obdormiscentes in summa aqua, id quod proditur stertentium sonitu. Tum terni[4] adnătant, a duobus in dorsum vertitur, a tertio laqueus injicitur, atque ita a pluribus in littore stantibus trahitur. In mari testudines conchyliis vivunt; tanta enim oris est duritia, ut lapides comminuant; in terram egressae, herbis. Pariunt ova, ovis avium similia, ad centena[5] numero; eaque extra aquam defossa terrâ cooperiunt.

61. Margaritae Indici Oceani omnium maxime laudantur. Inveniuntur in conchis, scopulis adhaerentibus. Maxima laus est in candore, magnitudine, laevore, pondere. Raro duae inveniuntur, quae sibi ex omni parte sint similes. Has auribus suspendĕre, feminarum est gloria.[6] Duos maximos uniones Cleopatra, Aegypti regina, habuisse dicitur. Horum unum, ut Antonium[7] magnificentia superaret, in coena aceto solvit, solutum hausit.

62. Aegyptus, inter Catabathmum[8] et Arabas posita, a plurimis ad Asiam refertur; alii Asiam Arabico sinu terminari existimant. Haec regio, quamquam expers est imbrium, mire tamen est fertilis. Hoc Nilus efficit, omnium fluviorum, qui in mare internum effunduntur, maximus. Hic in desertis Africae oritur, tum ex Aethiopia descendit in Aegyptum, ubi de altis rupibus praecipitatus[9] usque ad Elephantidem urbem fervens adhuc decurrit. Tum demum fit placidior. Juxta Cercasorum oppidum in plures amnes dividitur, et tandem per septem ora[10] effunditur in mare.

63. Nilus, nivibus in Aethiopiae montibus solutis, crescere incipit Luna nova post solstitium per quinquaginta fere dies; totidem diebus minuitur. Justum incrementum est cubitorum

sexdecim. Si minores sunt aquae, non omnia rigant. Maximum incrementum fuit cubitorum duodeviginti; minimum quinque. Quum stetēre aquae, aggeres aperiuntur,[1] et arte aqua in agros immittitur. Quum omnis recesserit, agri irrigati et limo obducti seruntur.

64. Nilus crocodīlum alit, belluam quadrūpedem, in terra non minus quam in flumine hominibus infestam. Unum hoc animal terrestre linguae usu caret; dentium plures habet ordines; maxilla inferior est immobilis. Magnitudine excedit plerumque duodeviginti cubita. Parit ova anserinis non majora. Unguibus etiam armatus est, et cute contra omnes ictus invicta. Dies in terra agit, noctes in aqua. Quum satur est et in littore somnum capit, ore hiante, trochĭlus, parva avis, dentes ei faucesque purgat. Sed hiantem conspicatus ichneumon, per easdem fauces, ut telum aliquod immissus, erōdit alvum. Hebĕtes oculos dicitur habere in aqua, extra aquam acerrimos. Tentyritae in insula Nili[2] habitantes, dirae huic belluae obviam ire audent, eamque incredibili audacia expugnant.

65. Aliam etiam belluam Nilus alit, hippopotamum; ungulis binis, dorso equi et juba et hinnītu; rostro resīmo, cauda et dentibus aprorum. Cutis impenetrabilis, praeterquam si humore madeat. Primus hippopotamum et quinque crocodilos M. Scaurus aedilitatis suae ludis Romae ostendit.[3]

66. Multa in Aegypto mira sunt et artis et naturae opera. Inter ea, quae manibus hominum facta sunt, eminent pyramĭdes, quarum maximae sunt et celeberrimae in monte sterĭli inter Memphin oppidum et eam partem Aegypti, quae Delta vocatur. Amplissimam earum trecenta sexaginta sex hominum millia annis viginti exstruxisse traduntur. Haec octo jugera soli occupat; unumquodque latus octingentos octoginta tres pedes longum est; altitudo a cacumine, pedum quindecim millium. Intus in ea est puteus octoginta sex cubitorum. Ante has pyramides Sphinx est posita mirae magnitudinis. Capitis ambitus centum duos pedes habet; longitudo est pedum centum quadraginta trium; altitudo a ventre usque ad summum capitis apĭcem sexaginta duorum.

67. Inter miracula Aegypti commemoratur etiam Moeris[4] lacus, quingenta millia passuum in circuitu patens; Labyrinthus,[5] ter mille domos et regias duodecim uno pariete amplexus, totus marmore exstructus tectusque; turris denique in insula Pharo, a Ptolemaeo, Lagi filio,[6] condita. Usus ejus navibus noctu ignes ostendere ad praenuntianda vada portusque introitum.

68. In palustribus Aegypti regionibus papyrum nascitur.

Radicibus incolae pro ligno utuntur; ex ipso autem papyro navigia texunt, e libro vela, tegĕtes, vestem ac funes. Succi causa etiam mandunt modo crudum, modo decoctum. Praeparantur ex eo etiam chartae. Chartae ex papyro usus post Alexandri demum victorias repertus est. Primo enim scriptum in palmarum foliis, deinde in libris quarundam arborum; postea publica monimenta plumbeis tabulis confici, aut marmoribus mandari coepta sunt. Tandem aemulatio regum Ptolemaei et Eumĕnis in bibliothecis condendis[1] occasionem dedit membranas Pergami inveniendi. Ab eo inde tempore libri modo in charta ex papyro facta, modo in membranis scripti sunt.

69. Mores incolarum Aegypti ab aliorum populorum moribus vehementer discrepant. Mortuos nec cremant, nec sepeliunt; verum arte medicatos,[2] intra penetralia collocant. Negotia extra domos feminae, viri domos et res domesticas curant; onera illae humeris, hi capitibus gerunt. Colunt effigies multorum animalium et ipsa animalia. Haec interfecisse capitale est; morbo exstincta lugent et sepeliunt.

70. Apis omnium Aegypti populorum numen est; bos niger cum candida in dextro latere macula: nodus sub lingua quem canthărum appellant. Non fas est eum certos vitae annos excedere. Ad hunc vitae terminum quum pervenerit, mersum in fonte enecant. Necatum lugent, aliumque quaerunt, quem ei substituant; nec tamen unquam diu quaeritur.[3] Delūbra ei sunt gemina, quae thalamos vocant, ubi populus auguria captat. Alterum intrasse laetum est; in altero dira portendit. Pro bono etiam habetur signo, si e manibus consulentium cibum capit. In publicum procedentem grex puerorum comitatur, carmenque in ejus honorem canunt, idque videtur intelligere.

71. Ultra Aegyptum Aethiŏpes habitant. Horum populi quidam Macrobii[4] vocantur, quia paulo quam nos diutius vivunt. Plus auri apud eos reperitur, quam aeris; hanc ob causam aes illis videtur pretiosius. Aere se exornant, vincula auro fabricant. Lacus est apud eos, cujus aqua tam est liquida atque levis, ut nihil eorum, quae inmittuntur, sustinere queat; quare arborum quoque folia non innătant aquae, sed pessum aguntur.

72. Africa ab oriente terminatur Nilo;[5] a ceteris partibus mari. Regiones ad mare positae eximie sunt fertiles; interiores incultae et arenis sterilibus tectae, et ob nimium calorem desertae. Prima pars ab occidente est Mauritania.[6] Ibi mons praealtus Abȳla, Calpae monti in Hispania oppositus. Hi montes columnae Herculis appellantur.[7] Fama est, ante Her-

culem mare internum terris inclusum fuisse, nec exitum habuisse in Oceanum; Herculem autem junctos montes diremisse et mare junxisse cum Oceano. Ceterum regio illa est ignobilis et parvis tantum oppidis habitatur. Solum melius quam incolae.

73. Numidia[1] magis culta et opulentior. Ibi satis longo a littore intervallo saxa cernuntur attrita fluctibus, spinae piscium, ostreorumque fragmenta, ancorae etiam cautibus infixae, et alia ejusmodi signa maris olim usque ad ea loco effusi. Finitima regio, a promontorio Metagonio ad aras Philaenorum, proprie vocatur Africa.[2] Urbes in ea celeberrimae Utĭca et Carthāgo, ambae a Phoenicibus conditae. Carthaginem divitiae, mercaturâ imprimis comparatae, tum bella cum Romanis[3] gesta, excidium denique illustravit.

74. De aris Philaenorum haec narrantur.[4] Pertinacissima fuerat contentio inter Carthaginem et Cyrenas de finibus. Tandem placuit, utrimque eodem tempore juvenes mitti, et locum, quo convenissent pro finibus haberi. Carthaginiensium legati, Philaeni fratres, paulo ante tempus constitutum egressi esse dicuntur. Quod quum Cyrenensium legati intellexissent, magnaque exorta esset contentio, tandem Cyrenenses dixerunt, se tum demum hunc locum pro finibus habituros esse, si Philaeni se ibi vivos obrui passi essent. Illi conditionem acceperunt. Carthaginienses autem animosis juvenibus in illis ipsis locis, ubi vivi sepulti sunt, aras consecraverunt, eorumque virtutem aeternis honoribus prosecuti sunt.

75. Inde ad Catabathmum[5] Cyrenaica[6] porrigitur, ubi Ammonis oraculum et fons quidam, quem Solis[7] esse dicunt. Hic fons media nocte fervet, tum paulatim tepescit; sole oriente fit frigidus; per meridiem maxime riget. Catabathmus vallis est devexa versus Aegyptum. Ibi finitur Africa. Proximi his[8] populi urbes non habent, sed in tuguriis vivunt, quae mapalia vocantur. Vulgus pecudum vestitur pellibus. Potus est lac succusque baccarum; cibus caro. Interiores etiam incultius vivunt. Sequuntur greges suos, utque hi pabulo ducuntur, ita illi tuguria sua promŏvent.[9] Leges nullas habent, nec in commune consultant. Inter hos Troglodȳtae in specubus habitant, serpentibusque aluntur.

76. Ferarum Africa feracissima. Pardos, panthēras, leones gignit, quod belluarum genus Europa ignorat. Leoni praecipua generositas.[10] Prostratis[11] parcere dicitur; in infantes nonnisi summa fame saevit. Animi ejus index cauda, quam, dum placidus est, immotam servat; dum irascitur, terram et se ipsum ea flagellat. Vis summa in pectore. Si fugere cogitur, contemtim cedit, quam diu spectari potest; in silvis acerrimo cursu fertur. Vulneratus percussorem novit, et in quantalibet multi-

tudine appetit.[1] Hoc tam saevum animal gallinacei cantus terret. Domatur etiam ab hominibus. Hanno Poenus primus leonem mansuefactum ostendisse dicitur. Marcus autem Antonius, triumvir, primus, post pugnam in campis Philippicis,[2] Romae leones ad currum junxit.

77. Struthiocamēli Africi altitudinem equitis equo insidentis exaequant, celeritatem vincunt. Pennae ad hoc demum videntur datae, ut currentes adjŭvent; nam a terra tolli non possunt. Ungulae cervinis sunt similes. His in fuga comprehendunt lapides, eosque contra sequentes jaculantur. Omnia concŏquunt. Ceterum magna iis stoliditas, ita ut, quum caput et collum frutice occultaverint, se latēre existiment. Pennae eorum quaeruntur ad ornatum.

78. Africa serpentes generat vicenorum cubitorum; nec minores India. Certe Megasthĕnes scribit, serpentes ibi in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant cervos taurosque. In primo Punico bello ad flumen Bagrădam[3] serpens centum viginti pedum a Regulo, imperatore Romano,[4] ballistis et tormentis expugnata esse fertur. Pellis ejus et maxillae diu Romae in templo quodam asservatae sunt. In India serpentes perpetuum bellum cum elephantis gerunt. Ex arboribus se in praetereuntes praecipitant gressusque ligant nodis. Hos nodos elephanti manu[5] resolvunt. At dracones in ipsas elephantorum nares caput condunt spiritumque praecludunt. Plerumque in illa dimicatione utrique commoriuntur, cum victus elephas corruens serpentem pondere suo elīdit.

Page
5 swering to the question *ubi*, where? *Pergamus*, now *Bergamo*, a town of Mysia, in Asia Minor, on the Caicus, the capital of a kingdom which the Romans enlarged in favour of Eumĕnes, after the defeat of Antiochus, king of Syria, and which was left to the Roman people by Attalus, the last king, B. C. 133, A. U. C. 621. Here Eumĕnes founded a famous library, in opposition to that of Ptolemy at Alexandria, who, from motives of jealousy, forbad the exportation of Egyptian *papyrus*, in consequence of which Eumĕnes invented parchment, called hence *Pergamena* (*charta.*) Antony and Cleopatra transported this library, containing 200,000 volumes, to Alexandria.

3. *Esse*, when it admits of being translated by *have*, and denotes possession, governs the dative.

4. *Terrori sunt*, "are a terror to, terrify."

5. *Nobis.* The dative sometimes indicates the object for which, and on account of which, something takes place.

6. *Ne quidem*, "not even." These words are always separated by the word on which the emphasis falls.

7. *Sacra, profana*, as substantives. See note 6, p. 4.

8. *Parcere*, signifies properly, "to show forbearance," as,

9. *Invidere*, "to feel envy."

10. *Mederi*, signifying "to give relief," "to cure," governs the dative of the person.

11. *Vesci*, "to feed upon," governs the ablative.

12. *Prioribus*, (*pedibus*), "the fore feet."

13. *Uti aliqua re*, "to make use of a thing."

6 1. *Carere*, "to be without, want, be in want of;" it is followed by an ablative of the thing wanted.

2. *Sex sestertiis Romae venit.* A *sestertium* (the name of a sum, not of a coin) was equivalent to 1000 *sestertii.* A *sestertius* was equal to 3¾ cents, and 1000 *sestertii* or a *sestertium*, to $37 50; six *sestertia*, therefore, were equal to $225. *Vēneo, vēnire*, "to be sold, to be exposed to sale;" it must be distinguished from *vĕnio, vĕnire*, "to come."

3. *Carthagine.* Names of towns of the 3d declension, and also plurals of the 1st and 2d, are put in the ablative when answering to the question, where?

4. *Beneficium repetere.* The accusative depending upon the infinitive, and that again which depends upon it, like adverbs with the infinitive, form, in conjunction with it, the subject.

7 1. *Prodesse* from *prosum.*

2. *Equo vehi* is equivalent to *equitationem.*

3. *Pugnare*, equivalent to *pugnam.*

4. *Juveni.* The person on whom a necessity of doing somethin lies, is put in the dative, as here, *juveni* and *seni*, and in the fol lowing sentences, *discipulis* and *senibus.*

5. *Vincendi.* The gerund is nothing else than the four obliqu cases (genitive, dative, accusative, and ablative) of the neuter o the participle passive in *dus.* In respect to signification, it sup plies the place of a declinable infinitive of the present active, sinc it expresses the action or state of the verb, as a verbal substantive It is governed, as a substantive, by other substantives and adjec tives, and also governs the case of its verb. Thus,

6. *Utendi* governs *re* in the ablative, because its verb *utor* go verns that case.

7. *Naturâ*, "by nature, naturally;" the ablative of the cause.

Page 7

8. *Nova* (*negotia*), the neuter plural. See note 6, p. 4.
9. With *equus*, *inutilis est* must be understood.
10. *Pennae*, i. e. *adhibentur*.
11. *Et—et*, "as well—as also."

8

1. *Quid* for *aliquid*.
2. *Et ipse*, "thou too," "thou thyself also."
3. *Sub hasta*, "at auction, at public sale." At first a spear was set up only when spoils taken in war were to be sold. Afterwards at all auctions. Hence *hasta* is put for a public sale, and *sub hasta venire*, to be publicly sold.
4. *Clementiâ* instead of *quam clementiă*. The ablative may be put after the comparative, if the comparative particle be omitted instead of the nominative of the subject, and, in the construction of the accusative with the infinitive, instead of the accusative of the subject.

9

1. *Opulentissimae urbes*. The words which form an apposition, agree with those, which they accompany, in case, and, for the most part, when circumstances permit, in gender and number.
2. Why not *altores?*
3. *Thebae*, a plural only.
4. *Utor* with an ablative of the thing used.
5. *Quod*. When the relative pronoun refers to *is*, *ea*, *id*, and agree with it in case, the demonstrative is often left out.
6. *Parcere* with the dative of the thing spared.
7. *Carere aliqua re*.
8. *Vel*, even.
9. *Haec*, as a neuter plural, to be referred to the preceding substantives.

10

1. *Ut—condantur*. It is to be observed, as a general rule, that when the verb preceding *ut* is in the present or future tense, the verb following *ut* must be put in the present subjunctive; and that, when the preceding verb is in any of the preterite tenses, the verb following must be in the imperfect or perfect subjunctive.
2. *Ne vulneribus quidem*. See above, note 6, p. 5.
3. *Omnia*, *quae*, "all, that."
4. *Ne quis* (aliquis) equivalent to: *ut nemo—Apelles*, the greatest painter of that time.
5. *Quin*, equivalent to *quod non*.
6. *Quin conspicer*, "that I cannot see," or, "without seeing you."
7. *Quin* after *non dubito* signifies "that."
8. *Unusne*. The enclitic *ne* (distinguished by its quantity from the conjunction *ne*) is equivalent to *num*.
546	LVIII.	3	208	Croesus crosses the Halys to aid the Babylonians against Cyrus, by whom he is defeated. Cyrus carries the war into Lydia, subdues the country, and makes Croesus his prisoner.	B. 7
538	LX.	3	216	Cyrus takes Babylon.	
533	LXI.	4	221	Tarquin the Proud murders Servius Tullius, and succeeds him.	
532	LXII.	1	222	The death of Cyrus.—Cambyses, his son, succeeds him.	B. 8, 9
527	LXIII.	2	227	The death of Pisistratus.—His sons Hippias and Hipparchus succeed him.	C. 5
524	LXIV.	1	230	Cambyses puts his brother Smerdis to death.	B. 9
522		3	232	Death of Cambyses.—Usurpation of Pseudo Smerdis.	B. 9, 10
521		4	233	The death of Smerdis.—Commencement of the reign of Darius, son of Hystaspes. He marries Atossa, daughter of Cyrus.	B. 10 B. 11
513	LXVI.	4	241	Harmodius and Aristogiton slay Hipparchus. Babylon revolts from the Persians.	C. 5 B. 12
512	LXVII.	1	242	The stratagem of Zopyrus. Capture of Babylon. Darius wages war against the Scythians. He conquers Macedonia.	B. 12 B. 13
509		4	245	Hippias expelled, and the tyranny of the Pisistratidae abolished.—Tarquin the Proud driven from Rome. Consular government begins.	C. 5
490	LXXII.	3	264	Darius invades Greece.—Miltiades defeats the Persians at Marathon.	C. 5
481	LXXIV.	4	273	Xerxes commences his expedition against the Greeks.	B. 15 & C. 8
480	LXXV.	1	274	The battle of Thermopylae, 7th August. Arrival of Xerxes at Athens, towards the end of the same month. The battle of Salamis, October 19th. The same day Gelon defeats the Carthaginian general, Hamilcar, at Himera.	B. 16 B. 17 & C. 9 G. 2

B.C.	Year of the Olympiads.		of Rome.	SECOND PART.	Reference.
362	CIV.	3	392	The death of Artaxerxes Mnemon.	B. 23
				Ochus succeeds him.	B. 24
360	CV.	1	394	Philip ascends the throne of Macedon.	E. 4
356	CVI.	1	398	The temple of Diana at Ephesus burnt by Erostratus.	
				On the same day Alexander was born. Dionysius is driven from Sicily.	G. 4
355		2	399	Commencement of the third Sacred War.	
348	CVIII.	1	406	Philip takes Olynthus.	E. 7
				End of the third Sacred War.	E. 8
347		2	407	Dionysius returns to Syracuse from Italy.	G. 5
343	CIX.	2	411	Dionysius retires to Corinth after his final banishment by Timoleon.	G. 6
341		4	413	Philip makes a fruitless attempt upon Byzantium.—He is victorious in the Chersonese; and makes an expedition to Scythia.	E. 9
338	CX.	3	416	The battle of Chaeronea, in which Philip defeats the Athenians and Boeotians. The end of Grecian Independence.	E. 10
				Death of Artaxerxes Ochus.	B. 24
337		4	417	Philip convenes a council of the Greeks at Corinth. He prepares for the invasion of Persia.	E. 11
336	CXI.	1	418	Philip is assassinated by Pausanias.	E. 12
				Alexander succeeds him.	E. 14
				Darius Codomannus ascends the throne of Persia.	B. 24
335		2	419	Alexander continues the preparation for the Persian war.	E. 15
				Revolt of the Thebans. Alexander defeats them, and destroys Thebes.	E. 16
				Alexander passes into Asia.	E. 17
				Victory of Alexander over the Persians in the plain of Adrastia, commonly called the battle of the Granicus.	E. 18
333		4	421	Dangerous illness of Alexander at Tarsus. The battle of Issus.	E. 20 E. 21
332	CXII.	1	422	Alexander takes Tyre. Egypt submits to Alexander.—He founds Alexandria.	E. 22 E. 23
331		2	423	Victory of Alexander over Darius at Gaugamela, more commonly called the battle of Arbela.	E. 25
330		3	424	Alexander destroys Persepolis. Darius Codomannus assassinated by Bessus. End of the Persian Empire. Antipater suppresses the rebellion in Greece.	E. 25 E. 26 E. 27
328	CXIII.	1	426	Alexander subdues the Caucasian tribes.—Bessus punished.	E. 29
327		2	427	Alexander passes into India.—He conquers Porus.	E. 31, 32
325		4	429	Alexander returns to Babylon.	E. 36
324	CXIV.	1	430	Alexander the Great dies at Babylon, at the age of 33. Aridaeus, a natural son of Philip, is nominally king.—First division of the empire between the generals.	E. 37 E. 41
323		2	431	The Athenians and Aetolians rise in rebellion against Macedon.—Antipater escapes from Lamia.	E. 42
322		3	432	Antipater, Antigonus, Craterus and Ptolemy unite against Perdiccas.—Perdiccas is assassinated in Egypt.	E. 43
317		4	437	Agathocles, tyrant of Sicily.	G. 7, 8
315	CXVI.	2	439	League of Ptolemy, Cassander, Lysimachus, and Seleucus, against Antigonus.	E. 43
310	CXVII.	3	444	Agathocles carries the war against the Carthaginians into Africa.	G. 9
307	CXVIII.	2	447	Demetrius, son of Antigonus, gains a victory over the fleet of Ptolemy.—Antigonus as-	

B.C.	Year of the Olympiads		of Rome.	SECOND PART.	Reference.
				sumes the title of king; the other generals of Alexander follow his example.	E. 44
301	CXIX.	4	453	Battle of Ipsus; death of Antigonus; flight of Demetrius.	E. 46
298	CXX.	3	456	Death of Cassander. His son Philip succeeds him.	E. 46
297		4	457	Death of Philip. Dispute between his sons Antipater and Alexander respecting the crown of Macedon.—Antipater kills Thessalonice, his mother.	E. 47
294	CXXI.	3	460	Demetrius Poliorcetes takes possession of Macedonia.	E. 47
290	CXXII.	3	464	League of Seleucus, Lysimachus, Pyrrhus, and Ptolemy, against Demetrius.	E. 48
289		4	465	Death of Agathocles, tyrant of Sicily.—Demetrius is stripped of the kingdom of Macedon.—Pyrrhus obtains the vacant throne.	G. 11 E. 48
288	CXXIII.	1	466	Demetrius surrenders himself to Seleucus.	E. 48
286		3	468	Lysimachus wrests the crown of Macedon from the hands of Pyrrhus.—Death of Demetrius.	E. 49
284	CXXIV.	1	470	Death of Ptolemy, son of Lagus. His son, Ptolemy Philadelphus, succeeds him.-Death of Demetrius Phalereus. (V. note 1st, p. 15.)	E. 48
281		4	473	Lysimachus is defeated in Phrygia by Seleucus and dies.-Seleucus reigns in Macedonia. Seven months afterwards he is slain by Ptolemy Ceraunus, who succeeds him on the throne of Macedon.—Antiochus Soter, son of Seleucus, succeeds to the throne of Syria.—Commencement of the Achaean league.	E. 49
279	CXXV.	2	475	Irruption of the Gauls into Illyria and Macedonia. They defeat and slay Ptolemy Ceraunus.	E. 51
278		3	476	New irruption of the Gauls under Brennus. They attempt to plunder the temple at Delphi, but are totally defeated.—Pyrrhus, king of Epirus, passes into Sicily.	E. 52, 53 G. 12
277		4	477	Antigonus Gonatas, king of Macedonia.—He defeats the Gauls.	E. 54
275	CXXVI.	2	479	Hiero, general of the Sicilians.	G. 13
274		3	480	Pyrrhus gets possession of Macedonia, and dethrones Antigonus.	E. 55
272	CXXVII.	1	482	Pyrrhus besieges Lacedaemon, and is repulsed.—He is slain in an attack upon Argos.	E. 56
269		4	485	Hiero II. king of Syracuse.	G. 13
262	CXXIX.	3	492	Antiochus II. surnamed *Theos*, succeeds his father, Antiochus Soter.	
255	CXXXI.	2	499	Arsaces rules over the Parthians; the dynasty of the Arsacidae commences.	F. 4
247	CXXXIII.	2	507	Death of Antiochus II.—Seleucus II. surnamed *Callinicus*, succeeds him.	
243	CXXXIV.	2	511	Death of Antigonus Gonatas. Demetrius II. succeeds him.	
238	CXXXV.	3	516	Hamilcar goes to Spain with his son, the young Hannibal.	H. 4
232	CXXXVII.	1	522	The death of Demetrius II. king of Macedonia. Antigonus Doson succeeds him.	E. 59
228	CXXXVIII.	1	526	Death of Hamilcar.—Hasdrubal succeeds him in Spain.	H. 4
226		3	528	Death of Seleucus II.—Seleucus III. (*Ceraunus*) succeeds him.	
224	CXXXIX.	1	530	Death of Seleucus III.—His brother, Antiochus the Great, succeeds him.	E. 61
222		3	532	Cleomenes, king of Sparta, is defeated by Antigonus and flies to Egypt.—Antigonus makes himself master of Sparta, and then proclaims it free.	E. 60
221		4	533	Death of Antigonus Doson.—Philip, son of Demetrius, succeeds him.	E. 160

B.C.	Year of the Olympiads.		of Rome.	SECOND PART.	Reference.
221	CXXXIX.	4	533	Death of Ptolemy Evergetes.—Ptolemy Philopator succeeds him.	E. 61
220	CXL.	1	534	Death of Hasdrubal in Spain.—Hannibal succeeds him. Lycurgus, king of Sparta.	H. 4 E. 61
216	CXLI.	1	538	Philip sends deputies to Italy, for the purpose of making a treaty with Hannibal.	E. 62
214		3	540	Laevinus passes into Greece.	E. 63
204	CXLIV.	1	550	Philip makes peace with the Romans. End of the 1st Macedonian war.	E. 63
				Ptolemy Epiphanes succeeds his father Philopator, though only in the 4th year of his age.	E. 64
203		2	551	Antiochus the Great and Philip divide between themselves the kingdom of Ptolemy Epiphanes.	E. 64
202		3	552	The Romans undertake the guardianship of Epiphanes.	E. 65
200	CXLV.	1	554	Second Macedonian war.	E. 65
197		4	557	Battle of Cynoscephalae; defeat of Philip by Flaminius; end of the second Macedonian war.	E. 65
195	CXLVI.	2	559	Hannibal flies for refuge to Antiochus the Great.	E. 66
194		3	560	Phraates 1st, king of Parthia.	F. 5
191	CXLVII.	2	563	Antiochus defeated on land by Acilius Glabrio. His fleet defeated by Aemilius.	E. 67
190		3	564	Antiochus defeated at Magnesia by Scipio Asiaticus.	E. 69
189		4	565	The Aetolians conquered by the Romans.—Hannibal flies to Prusias, king of Bithynia.	E. 73
183	CXLIX.	2	571	Death of Philopoemen.—Hannibal poisons himself.—Death of Philip.—His son, Perseus, succeeds to the throne of Macedonia.	E. 70, 73
				—Mithridates I. succeeds Phraates I. as king of Parthia.	E. 72 F. 5
171	CLII.	2	583	Third Macedonian war begins.	
163	CLIII.	1	586	Battle of Pydna.—Perseus made captive by the Romans.	E. 74
147	CLVIII.	2	607	The Achaeans drive out the Roman ambassadors, who were sent to dissolve the league.—The Romans declare war against them.	E. 75, 76
146		3	608	Capture and destruction of Corinth by Mummius.—Greece becomes a Roman province under the name of Achaia. Commencement of the war with Viriathus.	E. 76 H. 2

B.C.	Year of Rome.	PART THIRD.	Reference.
137	617	Phraates II. succeeds Mithridates I.	F. 7
133	621	Attalus dying, bequeaths the kingdom of Pergamus to the Roman people.	E. 77
		Artabanus succeeds Phraates II.	F. 7
		Mithridates II. succeeds his father Artabanus.	F. 7
54	700	Orodes, king of Parthia.	F. 8
53	701	The battle of Carrhae; defeat and death of Crassus.	F. 8
39	715	Ventidius kills Pacorus and destroys his army.	F. 9
		Phraates IV. succeeds his father Orodes.	F. 10
36	718	Antony is repulsed by the Parthians.	F. 11
31	723	Phraates is driven from his throne by Tiridates. He is restored with the assistance of the Scythians.	F. 11
20	734	The Parthians deliver to Augustus the standards and captives taken from the Romans.	F. 12

positus, venisset invenit eum inter mulierum greges, muliebri habitu, lanam tractantem, et pensa virginibus dividentem. Quibus visis, indignatus Arbaces, tot viros huic feminae[1] parere, omnem rem ad amicos retulit, negatque[2] se ei obedire posse, qui se feminam esse malit quam virum. Fit igitur conjuratio. Bellum Sardanapalo infertur. Quo ille audito, primum, ut mulieres solent, latebras circumspicit; mox deinde cum paucis et incompositis in bellum progreditur. Victus proelio in regiam se recipit, ubi, exstructo incensoque rogo, et se et divitias in flammas conjicit; hoc solo facinore virum imitatus.

B. REGNUM MEDORUM ET PERSARUM.

1. *Astyages.* (Justin. I. 4.)

Sardanapalo sublato quum Arbaces rex esset constitutus, imperium ab Assyriis ad Medos translatum est. Post multos deinde reges ad Astyagem descendit.[3] Hic aliquando per somnum vidit e sinu filiae Mandanes, quam unicam habebat, vitem enatam,[4] cujus palmite omnis Asia obumbraretur. Consulti harioli, qui somnia interpretabantur, responderunt, nepotem regi ex filia natum iri, qui regno potiretur omnemque Asiam subigeret. Hoc responso perterritus, Astyages filiam Cambysi in matrimonium dedit, mediocris fortunae viro, ex gente Persarum, quae tunc temporis nullis adhuc rebus gestis illustrabatur.[5] Sed ne sic quidem ab omni metu liberatus est.

2. *Cyri natales.* (Ibid. I. 4.)

Quum itaque Mandane puerum peperisset, Astyages cum Harpăgo, arcanorum suorum participi, occidendum dedit. Is veritus, ne Mandane aliquando necati infantis ultionem a se exigeret, pastori regii pecoris puerum exponendum tradit. Forte eodem tempore et ipsi pastori filius natus erat. Ejus igitur uxor, audita regii infantis expositione, maritum precibus movit, ut sibi afferret ostenderetque puerum. Cujus precibus fatigatus pastor reversus in silvam, juxta infantem invenit canem, ubera parvulo praebentem, et a feris alitibusque defendentem. Motus et ipse misericordia, qua canem motam viderat, puerum defert ad stabula, eadem cane anxie prose-

quente. Quem ubi in manus mulier accepit, puer eam risu et blanditiis ita cepit, ut eum a se nollet dimittere, maritoque precibus persuaderet, ut suum ipsius puerum exponeret, altero servato.[1] Atque ita permutata sorte parvulorum, hic pro filio pastoris educatur, ille pro[2] nepote Astyagis exponitur.

3. *Cyrus agnoscitur.* (Ibid. I. 5.)

Puer deinde quum inter pastores esset, Cyri nomen accepit. Ibi aliquando rex inter ludentes creatus, contumaces flagellis cecīdit: ob quam contumeliam puerorum parentes irati regem adierunt, querentes, quod ingenui[3] pueri a servo regio verberibus essent affecti. Rex puerum arcessitum quum interrogasset, quomodo ausus esset illos verberare, ille, vultu nihil mutato, se ut regem fecisse respondit. Hoc responsum puerique constantiam admiratus Astyages, somnium, quod olim viderat, in mentem revocat, quumque et vultus similitudo et expositionis tempora,[4] et pastoris confessio convenirent, nepotem agnovit. Et quoniam somnium exitum habuisse existimabat, quod Cyrus regnum inter pastores gessisset, puero quidem pepercit, sed Harpago ob imperium neglectum iratus, filium ejus interfecit patrique epulandum apposuit.

4. *Harpagus Astyagen prodit.* (Ibid. I. 5.)

Ab initio quidem Harpagus dissimulavit dolorem, sed intentus occasioni vindictae exercendae, tempore interjecto, quum adolevisset Cyrus, omnia ei perscripsit: ut Astyages eum interfici jusserit, ut suo[5] beneficio sit servatus, ut ipse filium crudelitate regis amiserit. Deinde eum hortatur, ut exercitum paret, pronamque[6] ad regnum viam ingrediatur; simul Medorum ipsi transitionem promittit. Epistola, quia regis custodes omnes aditus obsidebant, exenterato lepori inseritur, lepusque Cyro apud Persas degenti per fidum servum mittitur.

5. *Cyrus exercitum parat.* (Ibid. I. 6.)

Cyrus, Harpagi epistolis lectis, nihil[7] cunctatus, populum convocavit, eoque in locum silvestrem adducto, silvam securibus excīdi jussit. Quod quum strenue fecissent,[8] eosdem postero die ad epulas invitat. Deinde quum alacriores ipso convivio factos videret, rogat, si conditio esset proposita,[9] utrum hesterni diei laborem, an praesentium epularum hilaritatem praelaturi essent? omnibusque clamantibus, *se praesentes praeferre epulas*, ait: *Hesterno diei omnem vitam similem*

agetis, quamdiu Medis parebitis; at si me sequemini, efficiam, ut per omnem vitam epulas agere videamini.

6. *Astyages regno exuitur.* (Ibid. I. 6.)

Laetis omnibus, Medis bellum infert. Astyages Harpago summam belli[1] committit, oblitus[2] injuriarum quibus eum afecerat. At ille exercitum acceptum statim Cyro tradit, regisque crudelitatem defectione ulciscitur. Quod ubi Astyages audivit, contractis undique auxiliis ipse in Persas proficiscitur, variamque ibi belli fortunam expertus, tandem in proelio capitur. Cyrus avo regnum abstulit, eumque maximae genti Hyrcanorum[3] praeposuit. Nam in Medos reverti ipse noluit. Hic finis Medorum imperii fuit. Regnaverunt annos trecentos quinquaginta.

7. *Cyrus Lydiam et Croesum superat.* (Ibid. I. 7.)

Initio regni Cyrus civitates, quae Medorum tributariae fuerant, bello domuit. Deinde quum adversus Babylonios bellum gereret, Croesus, rex Lydorum,[4] cujus opes et divitiae illa tempestate insignes erant, Babyloniis auxilium tulit; eoque victo, Cyrus bellum in Lydiam transfert. Ibi Croesi exercitus, fortuna prioris proelii jam perculsus, nullo negotio[5] funditur, Croesus ipse capitur. Victor, clementia erga victum usus, et vitam ei et patrimonii partem concessit. Interjecto deinde tempore, occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellavere. Quibus iterum victis arma et equi ademti, jussique sunt cauponias[6] et ludicras artes[7] exercere. Sic gens, industriâ quondam potens, mollitie et luxuriâ effeminata, virtutem pristinam perdidit.

8. *Cyrus interficitur.* (Ibid. I. 8.)

Cyrus, subacta Asia, Scythis bellum infert. Erat eo tempore Scytharum regina, Tomyris, quae quum hostes Araxis[8] fluminis transitu prohibere posset, iis transire permisit, existimans, faciliorem sibi intra terminos regni pugnam fore. Itaque Cyrus, trajectis copiis, quum aliquantisper in Scythiam processisset, castra metatus est. Deinde, simulato metu, quasi refugiens, castra deseruit, atque in iis vini affatim, et quae epulis erant necessaria, reliquit. Quod quum reginae nuntiatum esset, adolescentulum filium ad insequendum hostem cum tertia parte copiarum misit. Quum ventum ad Cyri castra esset, adolescens, rei militaris ignarus, omissis[9] hostibus, milites suos insuetos[10] vino se onerare patitur. Qui

jussit. Tum fortuna ita regente,[1] Gobrya incolumi, magus interficitur.

11. *Darīus Hystaspis rex creatur.* (Ibid. I. 10.)

Quibus peractis, conjurati virtute et nobilitate pares, pacti sunt inter se, ut die statuta omnes equos ante regiam primo mane perducerent; et cujus equus inter Solis ortum hinnitum primus edidisset, is rex esset. Nam et Solem Persae unum Deum esse credunt, et equos eidem Deo sacratos putant. Erat autem inter conjuratos Darīus Hystaspis filius; cui, de eventu sollicito, equi custos ait: si haec res,[2] quam tu dicis, victoriam decernit, nihil negotii superesse existima.[3] Tum per noctem, pridie constitutam diem,[4] equum ad eundem locum[5] ducit, simulque equam. Postera die itaque quum ad statutam horam omnes convenissent, Darii equus, cognito loco ubi equam viderat, hinnitum statim edidit. Quo auspicio audito, omnes confestim equis desilierunt, et Darium regem salutaverunt. Populus quoque universus, principum secutus judicium, eundem regem constituit. Principio regni, Cyri filiam in matrimonium duxit, regalibus nuptiis regnum firmaturus;[6] ut non tam in extraneum translatum quam, in familiam Cyri reversum esse videretur.

12. *Zopŷri dolo Babylonia capitur.* (Ibid. I. 10.)

Interjecto deinde tempore, quum Assyrii descivissent, et Babyloniam occupassent, difficilisque urbis expugnatio esset, unus de interfectoribus magorum Zopŷrus, domi se verberibus lacerari toto corpore jubet; tum naso, auribus et labiis abscissis, regi se inopinanti offert.[7] Jam quum Darius ejus adspectu attonitus, auctorem tam foedae lacerationis requireret, ille, quo consilio hoc fecerit, edocet; rebusque cum rege compositis, transfugae titulo[8] in Babyloniam proficiscitur. Ibi ostendit populo laniatum corpus regisque Darii jussu se tam crudeliter affectum esse queritur, persuadetque mirantibus, ut se in urbem reciperent. Omnibus et virtus viri et nobilitas pariter nota erat, nec de fide[9] dubitabant, quam corpus verberibus laniatum satis probare videbatur. Receptus igitur, omnium suffragio dux constituitur, et accepta parva manu, semel iterumque Persarum copias consulto cedentes fundit. Ad postremum universus ei creditur exercitus. Hunc Dario prodit, urbemque ipsam in ejus potestatem redigit.

13. *Darii expeditio contra Scythas.* (Ibid. II. 5.)

Multis in Asia feliciter gestis, Darius Scythis[1] bellum intulit, et armatis septingentis millibus hominum, Scythiam ingressus, quum hostes ei pugnae potestatem non facerent, metuens, ne interrupto ponte Istri,[2] reditus sibi intercluderetur, amissis octoginta millibus hominum, trepidus[3] refugit. Inde Macedoniam domuit. Paulo post, quum cognovisset, Athenienses Ionibus[4] contra se auxilium tulisse, bello eos adortus est. Quod quo eventu gestum sit, in Atheniensium historia narrabitur.[5]

14. *Filiorum Darii de regno contentio.* (Ibid. II. 10.)

Persarum legionibus in campo Marathonio[6] magno proelio superatis, Darius, bellum instauraturus, in ipso apparatu decedit, relictis multis filiis, et in regno et ante regnum[7] susceptis.[8] Ex his Artemenes, maximus natu, aetatis privilegio, regnum sibi vindicabat; Xerxes, quod patre ad regiam dignitatem sublato, primus genitus esset. Hoc certamen duo fratres concordi animo ad patruum suum Artaphernem deferunt, qui, domi[9] cognita causa, Xerxem praeposuit: adeoque fraterna fuit contentio,[10] ut nec victor insultaret, nec victus doleret; ipsoque litis tempore munera sibi invicem mitterent.

15. *Xerxes bellum adversus Graeciam parat.* (Ibid. II. 10.)

Igitur Xerxes bellum a patre coeptum adversus Graeciam denuo instruxit, eique apparatui[11] quinquennium insumsit. Septingenta millia ex regni sui provinciis armasse dicitur, et trecenta millia auxiliariorum; ut non inmerito proditum sit, flumina ab exercitu ejus siccata esse, Graeciamque omnem vix capere exercitum ejus potuisse. Naves quoque mille ducentas numero habuisse dicitur. Huic tanto agmini dux[12] defuit. Rex enim primus in fuga, postremus in proelio semper visus est. In periculis timidus, ubi metus abesset, inflatus erat.

16. *Pugna ad Thermopylas.* (Ibid. II. 11.)

Ejus introitus in Graeciam quam terribilis, tam turpis discessus fuit. Nam quum Leonidas, rex Spartanorum, cum quatuor millibus militum angustias Thermopylarum[13] occupasset, Xerxes contemtu paucitatis eos aggreditur. Triduo ibi pugnatum, magnaque in Persarum exercitu caedes est edita.

Quarta die quum nuntiatum esset Leonidae, summum montium cacumen a viginti millibus hostium teneri, socios hortatur, *recedant*[1] *et se ad meliora patriae tempora reservent; sibi cum Spartanis fortunam esse experiendam.* Tum caeteri discessere; soli Lacedaemonii remanserunt. Hi omnes Xerxis castra adorti, post ingentem caedem editam ibi occubuerunt.

L 17. *Xerxes Graecia vastata fugatur.* (Ibid. II. 12.)

Tum Xerxes maris fortunam experiri statuit. Sed ante navalis proelii congressionem[2] misit quatuor millia armatorum Delphos[3] ad templum Apollinis diripiendum. Quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est, ut intelligerent, quam nullae[4] essent hominum adversus Deos vires. Post haec Thespias et Plataeas[5] et Athenas[6] vacuas hominibus incendit; et quoniam ferro in homines non poterat,[7] in aedificia igne grassatur. Cujus incendii flammas quum viderent Graeci in classe circum Salamīna[8] insulam statuta,[9] dissensio inter principes orta est, quum plurimi hortarentur, ut domos suas discederent moenibusque se defenderent. Tum Themistocles, Atheniensium imperator, timens, ne discessu sociorum vires Graeciae minuerentur, per servum fidum Xerxi nuntiat, *uno in loco eum contractas Graeciae vires facillime opprimere posse. Quod si populi, qui jam abire vellent, dissiparentur, majori labore ei singulos consectandos esse.* Hoc dolo impulit regem, ut signum pugnae daret. Graeci quoque adventu hostium coacti sunt proelium collatis viribus capessere. Interea rex, velut spectator pugnae, in litore remanet. Artemisia autem, regina Halicarnassi,[10] quae in auxilium Xerxi venerat, plurima in hoc navali proelio virtutis documenta dedit. Sic illo tempore in viro muliebris timor, in muliere virilis conspiciebatur audacia. Quum proelium anceps esset, Iones, qui cum rege[11] pugnabant, a Themistocle instigati, pugnae se paulatim subtrahere coeperunt; quorum defectio animos caeterorum fregit. Itaque circumspicientes fugam pelluntur Persae, et mox, proelio victi, in fugam vertuntur.

18. *Xerxis in Asiam reditus.* (Ibid. II. 13.)

Hac clade perculsus Xerxes domum redire statuit, parte exercitus cum Mardonio in Graeciâ relictâ. Sed Graeci, auditâ regis fugâ, consilium ineunt pontis rumpendi, quo ille Hellespontum[12] junxerat, ut intercluso reditu cum reliquiis exercitus deleretur. Sed Themistocles timens, ne interclusi hostes iter, quod aliter non pateret, ferro patefacerent, servum ad Xer-

filios regis, votis suis obsistentes, amoveret, Artaxerxi, admodum puero, persuasit, regem a Dario,[1] qui erat adolescens, occisum esse, quo maturius regno potiretur, eumque impulit, ut patris caedem in fratre vindicaret. Quum ventum ad domum Darii esset, hic dormiens inventus interficitur. Quo facto, ut etiam Artaxerxem tolleret, Artabanus, principum de regno certamina metuens, assumit in societatem consilii Bacabasum: qui[2] praesenti rerum statu contentus, rem prodit Artaxerxi, ut pater ejus occisus, ut frater falsa parricidii suspicione oppressus esset, quaenam ipsi denique pararentur insidiae. His cognitis Artaxerxes in posterum diem armatum exercitum adesse jubet, recogniturus[3] et numerum militum et in armis industriam singulorum. Itaque quum inter caeteros et ipse Artabanus armatus assisteret, rex simulavit, se breviorem loricam habere, jussitque Artabanum suam secum commutare; tum exuentem se et nudatum gladio trajecit, simulque filios ejus corripi jubet. Atque ita egregius juvenis et caedem patris, et se ab insidiis Artabani vindicavit.[4]

21. *Intestina discordia in regno Persarum gliscit.* (Just. V. 11.)

Artaxerxem secutus est filius Xerxes, qui post breve quadraginta quinque dierum regnum a Sogdiano occisus est. Qui regnum scelere occupatum quum caedibus tueri conaretur, post septem menses a Dario proelio superatus periit. Sub his regibus imperium Persarum principum discordiis populorumque seditionibus agitatum magis magisque inclinari[5] coepit. Darius moriens Artaxerxi, majori natu filio, qui Mnemon appellabatur, regnum, minori, Cyro, urbes Lydiae, quibus praefectus fuit, testamento legavit. Sed Cyro judicium[6] patris injuria videbatur; itaque occulte adversus fratrem bellum paravit. Quod quum nuntiatum esset Artaxerxi, Cyrum ad se arcessitum compedibus aureis vinxit, interfecissetque, nisi mater prohibuisset.

22. *Cyrus in bello adversus fratrem suscepto perit.* (Just. V. 11.)

Quod periculum quum effugisset, Cyrus jam non occulte bellum, sed palam parare coepit; auxilium undique contrahit. Sed quum in proelio[7] commisso fratrem imprudentius aggreditur, hunc quidem[8] equi fuga[9] periculo subtraxit, Cyrus autem[8] a cohorte regia circumventus interficitur. In eo proelio decem millia Graecorum in auxilio Cyri fuere; quae et in

cornu, in quo steterant, vicerunt, et post mortem Cyri neque armis a tanto exercitu vinci, neque dolo capi potuerunt, sed per indomitas nationes et gentes barbaras, virtute sua confisi, in patriam revertuntur.[1]

53. *Artaxerxis filii in patrem conjurant.* (Just. X. 1. 2.)

Artaxerxi ex pellicibus centum et quindecim filii fuere, sed tres tantum justo matrimonio suscepti, Darius, Ariarates et Ochus. Ex his Darium per indulgentiam pater, contra morem Persarum, regem vivus fecit. Sed hic paterna pietate nihil motus, interficiendi patris consilium cepit. Occiso quippe Cyro, Aspasiam, pellicem ejus, in regium gynaeceum translatam, a patre sibi dari postulaverat. Hic, pro sua in liberos indulgentia, primo se id facturum esse dixerat; mox poenitentia ductus, Solis eam sacerdotio praefecit, quo munere ab omni virorum consortio prohibebatur. Hinc exacerbatus juvenis cum quinquaginta fratribus in patrem conjuravit; sed deprehensus cum sociis poenas parricidii[2] dedit. Conjuges[3] quoque conjuratorum cum liberis omnibus interfectae sunt, ne quod vestigium tanti sceleris superesset. Paulo post Artaxerxes morbo ex dolore contracto decessit.

24. *Ochus. Darius Codomannus, postremus rex Persiae.* (Just. X. 3.)

Post patris mortem Ochus regnum paternum invasit. Qui parem conjurationem timens, regiam cognatorum et principum caede replet. Tum bellum Cadusiis[4] infert. In quo bello Codomannus quidam adversus hostem, qui unum ex Persis ad singulare certamen provocaverat, magno animo processit, et hoste occiso victoriam suis et prope amissam gloriam restituit. Ob haec decora[5] praeficitur Armeniis. Interjecto deinde tempore post mortem Ochi regis, ob memoriam pristinae virtutis rex a populo constituitur, Darii nomine honoratus; bellumque cum Alexandro non sine virtute gessit. Postremo ab Alexandro victus et a cognatis occisus, vitam pariter cum Persarum regno finivit.

C. RES ATHENIENSIUM.

1. *Atheniensium origines et primi reges.* (Just. II 6.)

Athenienses non solum incrementis[1] suis, sed etiam origine gloriantur. Non enim a sordidis[2] initiis crevere, nec ex aliis regionibus advenerunt, sed eodem innati solo,[3] quod incolunt; et quae illis sedes, eadem origo est. Primi lanificii et olei[4] et vini[5] usum docuere. Arare quoque et serere frumenta[6] glandem vescentibus[7] monstrarunt. Litterae certe ac facundia, leges et civilis disciplina[8] veluti templum Athenas habuere. Ante Deucaliōnis tempora regem habuere Cecrōpem; quem, ut omnis antiquitas fabulosa est, biformem tradidere, quia primus marem feminae matrimonio junxit. Huic successit Cranăus, cujus filia Atthis regioni nomen dedit. Post hunc Amphictyon regnavit, qui primus Minervae urbem sacravit, et nomen civitati Athenas dedit. Hujus temporibus aquarum illuvies majorem partem populorum Graeciae absumsit. Superfuerunt,[9] quos refugia montium receperunt, aut[10] ad regem Thessaliae[11] Deucalionem ratibus evecti sunt, a quo propterea genus humanum conditum dicitur. Per ordinem deinde successionis regnum ad Erechtheum descendit, sub quo frumenti satio apud Eleusin a Triptolemo reperta est. In hujus muneris honorem noctes initiorum[12] sacratae.[13] Tenuit et Aegeus, Thesei pater, Athenis regnum. Post Aegeum Theseus,[14] ac deinceps Thesei filius, Demophoon, qui auxilium Graecis adversus Trojanos[15] tulit, regnum possedit.

2. *Codrus se pro patria devovet.* (Just. II. 6.)

Erant inter Athenienses et Dorienses[16] veteres offensae, quas vindicaturi bello Dorienses, de eventu proelii oracula consuluerunt. Responsum superiores[17] fore, ni regem Atheniensium occidissent. Itaque quum ventum esset in bellum, militibus ante omnia custodia[18] regis praecipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat; qui et responso Dei, et praeceptis hostium cognitis, permutato[19] regis habitu, pannosus, sarmentaque gerens, castra hostium ingreditur; ibique in turba militum, quum unum falce sponte vulnerasset, occiditur. Cognito regis corpore, Dorienses sine proelio discedunt. Atque ita Athenienses virtute ducis, pro salute patriae, morti se offerentis, bello liberantur.

libertatis esset, tandem Hippias regno pulsus in exsilium agitur, et in Persiam profectus, Dario, Atheniensibus bellum illaturo, ducem se adversus patriam offert. Igitur Athenienses, nuntio de Persarum adventu accepto, auxilium a Lacedaemoniis petiverunt. Quos ubi viderunt religione[1] retineri, quominus statim auxilium ferrent, non exspectata eorum ope, instructis decem millibus civium, et Plataeensibus auxiliaribus mille, in campos Marathonios[2] in proelium egrediuntur. Miltiades erat unus ducum exercitus, ejusque potissimum auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt, locoque idoneo castra fecerunt. Deinde postero die sub montis radicibus acies instruitur. Datis, Persarum dux, etsi non aequum locum[3] videbat suis, tamen, fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, proeliumque commisit. Tanta vero Atheniensibus in pugnam euntibus alacritas animorum fuit, ut quum mille passus inter duas acies essent, citato cursu ad hostem venirent. Nec audaciae eventus[4] defuit. Pugnatum est enim tanta virtute, ut Persae perterriti non castra sed naves peterent, ex quibus multae suppressae,[5] multae captae sunt.

6. *Virtutis in illo proelio documenta.* (Just. II. 9.)

In illo proelio tanta virtus singulorum fuit, ut cujus laus prima esset, difficile dictu videretur. Inter caeteros tamen Themistoclis adolescentis gloria emicuit. Cynegiri quoque, militis Atheniensis, gloria multorum scriptorum laudibus celebrata est. Qui post innumeras caedes, quum fugientes hostes ad naves egisset, onustam navem dextra manu tenuit, nec prius dimisit, quam manum amitteret, tum quoque amputata dextra, navem sinistra comprehendit; quam et ipsam quum amisisset, ad postremum morsu navem retinuit. Persae magnam vim hominum eo proelio amiserunt. Cecidit et Hippias, tyrannus Atheniensis, auctor et concitor ejus belli, diis patriae ultoribus poenas repetentibus.

7. *Honor Miltiadi tributus.* (Corn. Nep. Vita Milt. c. 6.)

Jam non alienum videtur, hujus victoriae quale praemium[6] Miltiadi sit tributum docere. Huic viro, qui Athenas totamque Graeciam liberarat, hic honor tributus est, ut, quum in porticu, quae Poecile[7] vocatur, pugna depingeretur Marathonia, in decem praetorum[8] numero prima ejus imago poneretur, milites hortantis[9] proeliumque committentis. Antiquissimis enim temporibus rari fuerunt honores et tenues,[10] et propter id

ipsum gloriosi. Idem populus postquam corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo[1] decrevit.

8. *Bellum Persicum alterum,* (Corn. Nep. Vita Them. c. 2. 3.)

Paulo post Xerxes majoribus viribus Graeciam aggressus est. Quo adventante quum oraculum Delphicum consuluissent,[2] responsum est, moenibus ligneis se tuerentur. Quod responsum quo valeret,[3] quum intelligeret nemo, Themistocles persuasit civibus, ut in naves se suaque conferrent; eum enim significari murum ligneum. Quo consilio probato navium augent numerum, suaque omnia, quae moveri poterant, conjuges liberosque partim Salamina,[4] partim Troezēna[5] asportant; arcem[6] sacerdotibus paucisque majoribus natu ad sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum[7] relinquunt. Communis autem Graeciae classis trecentarum navium, quarum ducentae erant Atheniensium, primum apud Artemisium[8] inter Euboeam[9] continentemque terram cum classiariis regiis[10] conflixit. Angustias enim Themistocles quaerebat, ne multitudine regiarum navium circumiretur. Hinc etsi pari proelio[11] discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere, quod erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Euboeam superasset, ancipiti premerentur periculo.[12] Quo factum est, ut ab Artemisio discederent, et adversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent.

9. *Xerxes Themistoclis consilio ad Salamina superatur.* (Corn. Nep. Vit. Them. c. 4. Justin. II. 12.)

At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accessit Urbem, eamque nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit; cujus flamma perterriti classiarii, quum manere non auderent, et plurimi hortarentur, ut domos suas discederent, moenibusque se defenderent, Themistocles unus restitit, et universos quidem hosti pares esse posse aiebat, dispersos autem perituros. Quum vero socios minus, quam vellet, moveret, noctu de servis suis, quem habuit fidelissimum,[13] ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis,[14] Graecos in eo esse, ut fugerent. Qui si discessissent, majore cum labore et longinquiore tempore[15] bellum confecturum,[16] quum singulos consectari cogeretur; quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum.[17] Hoc eo valebat,[18] ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita, barbarus,[19] nihil doli subesse ratus, postridie alienis-

simo[1] sibi loco, contra opportunissimo hostibus, adeo angusto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non posset. Victus ergo est magis consilio Themistoclis, quam armis Graeciae.

10. *Xerxes in Asiam revertitur.* (C. N. I. c. 5.)

Hic etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam cum his Graeciam opprimere posset. Ne igitur bellare perseveraret, Themistocles eum certiorem fecit, id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, quo ipse reditu in Asiam excluderetur. Idque ei persuasit. Celerrimo itaque itinere in Asiam reversus est, seque a Themistocle non superatum, sed conservatum judicavit. Sic unius viri prudentia Graecia liberata est.

11. *Reliquiae Persarum delentur.* (Justin. II. 14. Corn. Nep. Vit. Them. c. 6.)

Quum tamen pars exercitus sub duce Mardonio, regis genero, in Graecia esset relicta, quae bellum continuaret, hae quoque copiae superatae sunt apud Plataeas, urbem Boeotiae; eodemque forte die in Asia ad montem Mycalen Persae a Graecis pugna superati sunt. Jamque omnibus pacatis, Athenienses belli damna reparare coeperunt. Quumque Phalerico portu neque magno neque bono uterentur,[2] Themistoclis consilio triplex Piraei[3] portus constitutus est, isque moenibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate[4] aequipararet, utilitate superaret. Idem muros Athenarum restituit, Lacedaemoniis vetantibus, non sine periculo suo.

12. *Pausanias, dux Spartanorum, proditionem meditatur.* (Just. II. 15. Corn. N. Vita Paus. c. 2.)

Post haec Lacedaemonii, ut bis illatum Graeciae bellum ulciscerentur, ultro[5] fines Persarum depopulantur. Cui bello quum praefecissent Pausaniam, hic superbia elatus, majores res coepit appetere. Nam quum, Byzantio[6] expugnato, cepisset complures Persaram nobiles, atque in his nonnullos regis propinquos, hos clam Xerxi remisit, simulans, eos ex vinculis publicis effugisse; et cum his Gongylum Eretriensem,[7] qui litteras regi redderet, in quibus haec scripta fuisse tradunt; *Pausanias, dux Spartae, quos Byzantii ceperat, postquam propinquos tuos cognovit, tibi muneri misit,*[8] *seque tecum affinitate conjungi cupit. Quare, si tibi videtur, des ei filiam*

15. *Themistocles a rege Persiae benigne exceptus, Magnesiae moritur.* (Corn. Nep. Vit. Them. c. 10.)

Ad haec rex, tantam animi magnitudinem[1] admiratus, cupiensque talem virum sibi conciliari, benigne respondit. Themistocles autem omne illud tempus[2] litteris sermonique Persarum dedit; quibus adeo eruditus est, ut multo commodius[3] dicatur apud regem verba fecisse, quam hi poterant, qui in Perside erant nati. Hic quum multa esset regi pollicitus, magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam[4] rediit, domiciliumque Magnesiae[5] sibi constituit. In hac urbe morbo obiisse dicitur. Fama tamen fuit, eum venenum sumsisse, quum se, quae Regi de Graecia opprimenda pollicitus esset, praestare posse desperaret.[6] Sunt, qui narrent, ossa ejus ab amicis clam in Attica sepulta esse, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus.

16. *Cimon insulas Atheniensibus subjicit.* (Corn. Nep. Vita Cim. c. 2.)

Dum illa gerebantur, Athenienses maris imperium sine aemulo exercebant. Hoc et Themistoclis prudentiae et Cimonis virtuti debebant. Hic vir post victoriam apud Mycalen de Persis reportatam, quum magna praeda potitus domum reverteretur, quod jam nonnullae insulae propter acerbitatem[7] imperii ab Atheniensibus defecerant, bene animatas confirmavit,[8] alienatas[9] ad officium redire coëgit. Scyrum,[10] quod contumacius se gesserat, vacuefecit, sessores veteres urbe insulaque ejecit, agros civibus[11] divisit. Thasios,[12] opulentia fretos, suo adventu fregit. His manubiis[13] Athenarum arx, qua[14] ad meridiem vergit, est ornata.

17. *Ostracismo patria pulsus, mox revocatur.* (Ibid. c. 3.)

Quibus rebus quum unus in civitate maxime floreret, incidit in eandem invidiam, quam[15] Themistocles; nam testarum suffragiis decem annorum exsilio multatus est. Cujus facti celerius Athenienses, quam ipsum, poenituit. Nam quum ille forti animo invidiae ingratorum civium cessisset, bellumque Lacedaemonii Atheniensibus indixissent, confestim notae ejus virtutis desiderium[16] consecutum est. Itaque post annum quintum, quam expulsus erat,[17] in patriam revocatus est. Ille, quod hospitio Lacedaemoniorum utebatur, satius[18] existimans, contendere[19] Lacedaemonem, sua sponte[20] profectus, pacem inter duas potentissimas civitates conciliavit. Post,

neque ita multo, Cyprum cum ducentis navibus imperator missus, quum majorem partem ejus insulae devicisset, in morbum implicitus, in oppido Citió est mortuus.

18. *Bellum Peloponnesiacum. Pericles.* (Just. III. 2. et 7.)

Quum Athenienses maris imperium non sine superbia sociorumque injuria exercerent, multique, gravi eorum jugo fatigati, alios, qui se tuerentur, circumspicerent; tota Graecia, ducibus Lacedaemoniis, aemulae urbi magnitudinem et incrementa invidentibus,[1] in duas partes divisa, velut in viscera sua arma convertit. Hoc bellum, quo nullum aliud florentes Graeciae res gravius afflixit, saepius susceptum et depositum est.[2] Initio Spartani fines Atticae populabantur, hostesque ad proelium provocabant. Sed Athenienses, Periclis consilio, ultionis tempus exspectantes, intra moenia se continebant. Deinde, paucis diebus interjectis, naves conscendunt, et, nihil sentientibus Lacedaemoniis, totam Laconiam depraedantur. Clara quidem haec Periclis expeditio est habita; sed multo clarior privati patrimonii contemtus fuit. Nam in populatione caeterorum agrorum, Periclis agros hostes intactos reliquerant, ut aut invidiam ei apud cives concitarent, aut in proditionis suspicionem adducerent. Quod intelligens, Pericles agros reipublicae dono dedit. Post haec aliquot diebus interjectis, navali proelio[3] dimicatum est. Victi Lacedaemonii fugerunt. Post plures annos,[4] fessi malis, pacem in annos quinquaginta fecere, quam nonnisi sex annos servaverunt. Nam inducias, quos proprio nomine pepigerant, ex sociorum persona[5] rumpebant. Hinc bellum in Siciliam translatum est.

19. *Atheniensium in Siciliam expeditio.* (Just. IV. 3, 4.)

Quum enim jam antea, bello inter Catinienses[6] et Syracusanos exorto, Athenienses Catiniensibus opem tulissent, tempore interjecto, quum pacis conditiones a Syracusanis non servarentur, illi denuo legatos Athenas miserunt, qui sordida veste, capillo barbaque promissa, concionem adeunt, populumque lacrymis movent, ut, quamvis Peloponnesiaco bello districtus, auxilium illis mittendum censeret. Igitur classis iugens decernitur; creantur duces Nicias, Alcibiades et Lamachus; tantaeque vires in Siciliam effusae sunt, ut iis ipsis terrori essent, quibus auxilio venerant.

20. *Atheniensium res in Sicilia gestae.* (Just. IV. 4.)

Brevi post, quum Alcibiades, ob causas mox indicandas, revocatus esset, Nicias et Lamachus duo proelia pedestria secundo Marte[1] pugnant: munitionibusque urbi Syracusarum circumdatis, incolas etiam marinis commeatibus intercludunt. Quibus rebus fracti Syracusani, auxilium a Lacedaemoniis petiverunt. Ab his mittitur Gylippus, qui, quum in itinere de belli jam inclinato statu[2] audivisset, auxiliis partim in Graecia, partim in Sicilia contractis, opportuna bello loca occupat. Duobus deinde proeliis victus, tertio hostes in fugam conjecit, sociosque obsidione liberavit. In eo proelio Lamachus fortiter pugnans occisus est.

21. *Athenienses saepius victi ingentem cladem accipiunt.* (Justin. IV. c. 4 et 5.)

Sed quum Athenienses, terrestri bello superati, portum Syracusarum tenerent, Gylippus classem Lacedaemone cum auxiliis arcessit. Quo cognito[3] et ipsi Athenienses in locum amissi ducis Demosthenem et Eurymedonta cum supplemento copiarum mittunt, et quasi Graeciae bellum[4] in Siciliam translatum esset, ita ex utraque parte[5] summis viribus dimicabatur. Prima igitur congressione navalis certaminis Athenienses vincuntur; castra quoque cum omni publica ac privata pecunia amittunt. Inter haec mala quum etiam terrestri proelio victi essent, Demosthenes censere coepit, *ut abirent Sicilia, dum res quamvis afflictae, nondum tamen perditae essent.* Nicias autem seu pudore male actae rei, seu impellente fato manere contendit. Reparatur igitur navale bellum; sed inscitiâ ducum, qui Syracusanos, inter angustias maris[6] facile se tuentes, temere aggressi fuerant, Atheniensium copiae iterum vincuntur. Eurymedon dux in prima acie fortissime dimicans, primus cadit; triginta naves, quibus praefuerat, incenduntur; Demosthenes et Nicias autem cum reliquiis exercitus terrestri itinere fugiunt. Ab his relictas centum triginta naves Gylippus invasit; ipsos deinde insequitur; fugientes partim capit, partim caedit. Demosthenes, amisso exercitu, a captivitate gladio et voluntaria morte se vindicat: Nicias autem cladem suorum auxit dedecore captivitatis.

quitur, polliceturque his amicitiam regis, si respublica a populo ad senatum translata foret; sperans fore, ut aut concordante civitate dux belli ab omnibus legeretur, aut discordia inter ordines facta, ab altera parte in auxilium vocaretur. Itaque, permittente populo, imperium ad senatum transfertur.[1] Qui quum crudeliter in plebem consuleret, ab exercitu Alcibiades exsul revocatur, duxque classi constituitur. Hac denuntiatione territi senatores, primo urbem prodere Lacedaemoniis tentavere; dein, quum id nequissent, in exsilium profecti sunt. Itaque Alcibiades, patria ab intestino malo liberata,[2] summa cura classem instruit, atque, ita in bellum adversus Lacedaemonios perrexit.

25. *Lacedaemoniorum vires frangit.* (Corn. Nep. Vita Alcib. c. 5.)

Hac expeditione tanta subito rerum commutatio facta est, ut Lacedaemonii, qui paulo ante victores viguerant,[3] perterriti pacem peterent; victi enim erant quinque terrestribus proeliis, tribus navalibus,[4] in quibus trecentas triremes amiserant, quae captae in hostium venerant potestatem. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes Graecas, quae in ora sitae sunt Asiae: quarum expugnaverant quam plurimas, in his Byzantium, neque minus multas consilio[5] ad amicitiam adjunxerant, quod in captos benevolentia fuerant usi. Inde praeda onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis, Athenas venerunt.

26. *Athenas redit.* (Corn. Nep. I. c. 6.)

Ad hunc redeuntis exercitus triumphum effusa omnis multitudo obviam procedit, et universos quidem milites, praecipue tamen Alcibiadem mirantur. Sic enim populo erat persuasum, omnes et adversas superiores[6] et praesentes secundas res accidisse ejus opera. Itaque et cladem in Sicilia et Lacedaemoniorum victorias suae culpae tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent. Hic ut navi egressus est, illum unum omnes prosequebantur, et id quod nunquam antea usu venerat, nisi Olympiae victoribus, coronis aureis aeneisque vulgo donabatur.[7] Postquam in Urbem venerat, concione advocata, sic verba fecit, ut nemo tam ferus esset, quin ejus casum lacrymaret, inimicumque his se ostenderet, quorum opera patria pulsus fuerat. Restituta igitur huic sunt publice bona; et iidem illi sacerdotes, qui eum devoverant, rursus resacrare[8] sunt coacti.

27. *Lysandro duce res Lacedaemoniorum reparantur.* (Justin. V. 5.)

Dum haec Athenis geruntur, a Lacedaemoniis Lysander classi belloque praeficitur; et in locum Tissaphernis Darius rex Persarum, filium suum, Cyrum, Ioniae Lydiaeque praeposuit, qui Lacedaemonios auxiliis opibusque ad spem fortunae prioris erexit. Aucti igitur viribus Alcibiadem cum centum navibus in Asiam profectum, dum agros populatur,[1] repentino adventu oppressere. Magnae et inopinatae cladis nuntius quum Athenas venisset, tanta Atheniensium desperatio fuit, ut statim Cononem in Alcibiadis locum mitterent, ducis se fraude magis quam belli fortuna victos arbitrantes. Alcibiades autem impetum multitudinis veritus, denuo in voluntarium exsilium proficiscitur.

28. *Athenienses magno proelio apud Aegospotamos superantur.* (Just. V. 6, 7. Corn. Nep. Vita Alcib. c. 8.)

Itaque Conon Alcibiadi suffectus classem maxima industria adornat; sed navibus exercitus deerat. Nam ut numerus militum expleretur, senes et pueri arma capere coacti sunt. Pluribus itaque proeliis adverso Marte pugnatis, tandem Lysander, Spartanorum dux, Atheniensium exercitum, qui, navibus relictis, in terram praedatum exierat, ad Aegos flumen[2] oppressit, eoque impetu totum bellum finivit. Haec enim clade res Atheniensium penitus inclinata est.[3] Tributariae civitates, quas metus in fide retinuerat, Lysandro se tradiderunt, nec aliud ditionis Atheniensium[4] relictum est praeter urbem ipsam.

29. *Atheniensium consternatio.* (Just. V. 7.)

Quae quum Athenis nuntiata essent, ingens omnium consternatio fuit; viri mulieresque relictis domibus, per urbem currere pavidi; alius alium sciscitari; auctorem nuntii requirere.[5] In foro deinde coëunt, noctemque ibi inter timorem, questus, et lacrymas transigunt. Alii fratres, aut filios, aut parentes deflent, et cum privatis casibus querelam publicam[6] miscent: *Jam se ipsos, jam ipsam patriam perituram, miseriorem que superstitum, quam amissorum fortunam esse. Nullam nunc classem superesse, in quam confugiant; nullum exercitum, cujus virtute servari possint.*

30. *Athenae se Lysandro tradunt.* (Justin. V. 8. Corn. Nep. Vita Lys. c. 1.)

Dum haec Athenis fiunt, Lysander Graeciae civitates in Lacedaemoniorum potestatem redigit, et undique iis, qui Atheniensium rebus studerent, ejectis, decem in unaquaque civitate delegit viros,[1] quibus summum imperium potestatemque omnium rerum commisit. His actis, Athenas navigavit, miseramque civitatem, obsidione circumdatam, fame urget. Sciebat enim, neque ex advectis copiis multum superesse, et ne novae advehi possent, providebat. Quibus malis Athenienses fracti, multis fame et ferro amissis, pacem petivere: quae an dari deberet, diu inter Spartanos sociosque deliberatum est. Quum nonnulli nomen Atheniensium[2] delendum, urbemque incendio consumendam censerent, Spartani negarunt, se passuros,[3] ut ex duobus Graeciae oculis[4] alter erueretur; pacemque Atheniensibus sunt polliciti, si longi muri brachia[5] dejicerent, navesque, quae reliquae forent, traderent; denique si respublica triginta rectores,[6] ex civibus deligendos, acciperet.

31. *Triginta viri tyrannidem Athenis exercent.* (Justin V. 8, 9.)

His legibus acceptis, tota civitas subito mutari[7] coepit: Triginta rectores reipublicae constituuntur, Lacedaemoniis et Lysandro dediti, qui brevi tyrannidem in cives exercere coeperunt. Quippe a principio tria millia satellitum sibi statuunt; et quasi hic numerus ad continendam civitatem non sufficeret, septingentos milites a victoribus[8] accipiunt. His copiis instructi exhaustam urbem caedibus et rapinis fatigant:[9] quumque hoc uni ex numero suo Therameni[10] displicere didicissent, ipsum quoque ad terrorem omnium interficiunt. Quo factum est, ut multi, urbe relicta, exsilii miserias, quam domesticum terrorem[11] pati mallent.

32. *Alcibiades interficitur.* (Corn. Nep. Vita Alcib. 9, 10.)

Horum tyrannorum consiliis etiam Alcibiades periit. Qui quum castellum in Phrygia[12] habitaret, ubi liberandae patriae agitabat consilia, Critias[13] caeterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem facerent, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum ratum[14] fore, quas ipse Athenis constituisset. Quare si suas res gestas manere vellet, illum persequeretur. Ly-

set, legem tulit: *ne quis anteactarum rerum accusaretur, neve multaretur*; eamque illi legem *Oblivionis* vocant.

35. *Athenienses se desidiae tradunt.* (Just. VI. 9.)

Non ita multo post per victoriam,[1] a Conone de Lacedaemoniorum classe reportatam, fractae res Atheniensium nonnihil reparatae sunt; nec tamen pristinam inter Graecos auctoritatem potuerunt recipere. Magis magisque in torporem et segnitiem resoluti, non ut olim in classem et exercitum, sed in dies festos apparatusque ludorum reditus publicos effundebant, frequentiusque in theatris quam in castris versabantur. Tum vectigal publicum quo milites et remiges alebantur, inter urbanum populum dividi coeptum. Quibus rebus effectum est, ut, Graecis otio torpescentibus, obscurum antea Macedonum nomen emergeret; et Philippus, obses triennio Thebis habitus in Epaminondae domo, hujus praestantissimi viri et Pelopidae virtutibus eruditus Graeciae servitutis jugum imponeret.

D. DE REBUS LACEDAEMONIORUM.

1. *Lycurgus Spartanorum legislator.* (Just. III. 2.)

Lacedaemoniorum respublica auctoritatem, qua inter Graecos pollebat, et incrementa debebat legibus et disciplinae Lycurgi. Qui vir quum fratri suo, Polydectae, regi Spartanorum,[2] successisset, regnumque sibi vindicare potuisset, Charilao, filio ejus, qui natus posthumus fuerat, quum ad aetatem adultam pervenisset, regnum, summa fide restituit; ut intelligerent omnes, quanto plus apud bonos pietatis[3] jura, quam omnes opes valerent. Jam probitate ejus perspecta, populus et principes, diuturnis inter se dissidiis agitati, conjunctis precibus eum permoverunt, ut civitati leges scriberet. Quo difficillimo negotio suscepto, rem ita perfecit, ut, dum Lycurgi leges florebant, Spartanorum civitas principem locum inter Graecos obtineret.

2. *Quaedam Lycurgi leges.* (Just. III. 2, 3.)

Ac primum quidem populum in obsequia principum, principes ad justitiam imperiorum formavit.[4] Parsimoniam om-

nibus suasit. Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium[1] jussit. Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustulit. Fundos omnium aequaliter inter omnes divisit. Convivari omnes publice jussit, ne cujus divitiae vel luxuria in occulto essent. Pueros puberes in agrum deduci praecepit, ut primos annos non in luxuria,[2] sed in opere et laboribus agerent. Virgines sine dote nubere jussit, ut uxores eligerentur, non pecuniae. Maximum honorem senum esse voluit. Haec quoniam primo, solutis antea moribus, dura videbat esse, auctorem eorum Apollinem Delphicum fingit.[3] Dein, ut aeternitatem legibus suis daret, jurejurando obligat civitatem, nihil eos de ejus legibus mutaturos, priusquam reverteretur, et simulat, se ad oraculum Delphicum proficisci, consulturum, quid addendum mutandumque, legibus videretur Deo. Proficiscitur autem Cretam,[4] ibique perpetuum exsilium egit, abjicique in mare ossa sua moriens jussit, ne, reliquiis suis Lacedaemonem relatis, Spartani se religione jurisjurandi solutos arbitrarentur.

3. *Bella Messenica.* (Just. III. 4. 5.)

His igitur moribus ita brevi civitas convaluit, ut quum Messeniis bellum intulissent, gravissima se exsecratione obstringerent, non, priusquam Messeniam[5] expugnassent, reversuros. Sed decem annis in obsidione urbis frustra consumtis, Messenii tandem per insidias expugnantur. Deinde, quum per octoginta annos omnia servitutis mala perpessi essent, post longam poenarum[6] patientiam bellum restaurant. Lacedaemonii autem tanto majore confidentia ad arma concurrunt, quod adversus servos dimicaturi videbantur. Res tamen aliter cecidit, atque ipsi speraverant. Nam tribus proeliis fusi, eo usque desperationis adducti sunt Spartani, ut ad supplementum exercitus servos suos manumitterent. Tum de belli eventu oraculo Delphis consulto, jubentur ducem belli ab Atheniensibus petere. Athenienses autem, quum hoc responsum cognovissent, in contemtum Spartanorum Tyrtaeum poëtam claudum pede miserunt. Qui quum venisset, carmina exercitui recitavit, in quibus virtutis hortamenta, damnorum solatia, belli consilia, conscripserat.[7] Itaque tantum ardorem militibus injecit, ut omnes alacri animo mortem oppeterent. Haro unquam cruentius proelium fuit. Ad postremum tamen victoria Lacedaemoniorum fuit.

4. *Lacedaemonii principatum in Graecia exercent.*

Insequenti aevo factum est, ut Lacedaemonii, ob insitam quandam populo nobilitatem et eximiam virtutis famam, principatum in Graecia obtinerent. Quare in Persicis bellis omnes Graeciae civitates, quae se adversus barbaros conjunxerant, eorum imperio parebant. Sed post illa tempora quum Athenienses maris sibi imperium vindicassent, ingens Lacedaemoniorum contra eos exarsit invidia. Hinc inimicitiae, mox bella exorta; unumque[1] gravissimum, quod, per viginti septem annos extractum, universae Graeciae vires vehementer afflixit. Victoria penes Spartanos fuit; qui post pugnam apud Aegos flumen, ubi Atheniensium robur fractum est, terra marique dominari coeperunt.

5. *Lacedaemonii cum Persis in Asia bellum gerunt.* (Just. VI. 1. Corn. Vit. Con. c. 2.)

Jam auctis viribus, Lacedaemonii totius Asiae imperium affectare coeperunt. Circa illud tempus, Conon, Atheniensis, qui, amissâ bello patriâ, in exsilio vivebat, contulit se ad Pharnabazum, Satrapen Ioniae et Lydiae, eundemque generum regis et propinquum, apud quem ut gratia valeret, multo labore perfecit. Nam quum Lacedaemonii in societate non manerent, quam cum Artaxerxe fecerant, Agesilaumque bellatum misissent in Asiam, maxime impulsi a Tissapherne, qui a regis amicitia defecerat, et cum Lacedaemoniis coïerat societatem, hunc adversus[2] Pharnabazus habitus est imperator; re vera autem exercitui praefuit Conon, ejusque arbitrio omnia gesta sunt. Hic summum ducem Agesilaum multum impedivit, saepeque ejus consiliis obstitit, neque non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaum Asiam Tauro tenus[2] regi fuisse erepturum.

6. *Agesilai res gestae.* (Corn. Nep. Vit. Ages. c. 4.)

Hic quum jam animo meditaretur proficisci in Persas et ipsum regem adoriri, nuntius ei domo venit Ephorûm jussu, bellum Athenienses et Boeotios[3] indixisse Lacedaemoniis; quare venire ne dubitaret. Qui quum victori praeesset exercitui, maximamque haberet fiduciam regni Persarum potiundi, gloriosius tamen duxit, si institutis patriae[4] paruisset, quam si bello superasset Asiam. Quum jam haud ita longe abesset Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses et Boeo-

signum apud Graecos victoriae traditae. Qua confessione contenti Thebani signum parcendi dederunt.

9. *Spartanorum virtus. Epaminondas in pugna ad Mantineam interficitur.* (Just. VI. 7. Corn. Nep. Vita Epam. c. 9.)

Paulo post Thebani, Epaminonda duce, occupandae urbis hostium spem ceperunt. Igitur principio noctis[1] taciti Lacedaemona proficiscuntur, non tamen aggredi incautos potuerunt. Quippe senes, et caetera imbellis aetas, quum adventum hostium sensissent, in ipsis portarum angustiis armati occurrunt. Pauci igitur senes sustinuerunt aciem,[2] cui paulo ante universa juventus par esse non potuit. Agesilai autem adventu nuntiato, Thebani recessere. Nec bellum diu dilatum; siquidem Spartanorum juventus, senum virtute et gloria incensa, teneri non potuit, quin ex continenti[3] acie decerneret. Quum victoria[4] Thebanorum esset, Epaminondas, dum non ducis tantum, verum etiam fortissimi militis officio fungitur, graviter vulneratur. Hujus casu aliquantum retardati sunt Boeotii: neque tamen prius pugna excesserunt, quam repugnantes profligarunt. At Epaminondas quum animadverteret, mortiferum se vulnus accepisse, simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum, usque eo retinuit, quoad renuntiatum est, vicisse Boeotios. Id postquam audivit, satis, inquit, vixi; invictus enim morior. Tum, ferro extracto, confestim exanimatus est.

10. *Epaminondae laus.* Just. VI. 8. Corn. Nep. Vita Epam. c. 3.)

Una cum Epaminonda Thebanorum quoque vires ceciderunt; ut non tam illum amisisse, quam cum illo interiisse omnes viderentur. Nam neque hunc ante[5] ducem ullum memorabile bellum gessere; nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere; ut manifestum sit, patriae gloriam et natam et exstinctam cum eo fuisse. Fuit autem incertum vir melior,[6] an dux esset. Erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut de republica nihil nisi gloriam caperet; honores autem ita gessit, ut ornamentum non accipere,[7] sed dare ipse honori-

bus videretur. Jam litterarum studium et philosophiae doctrina tanta fuit, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiae scientia homini inter litteras nato contigisset.

E. MACEDONUM IMPERIUM.

1. *Macedoniae origines.* (Justin. VII. 1.)

Macedonia ante, a nomine Emathionis regis, Emathia cognominata est. Hujus, sicut incrementa modica, ita termini perangusti fuere. Antiquissimis temporibus Carānus, ex Herculis progenie, responso oraculi sedes quaerere jussus, cum magna multitudine Graecorum in Emathiam venit, ibique urbem Edessam, oppidanis propter imbrium et nebulae magnitudinem non sentientibus, gregem caprarum, imbrem fugientium secutus, occupavit. Oraculum autem jusserat eum ducibus capris imperium quaerere. Hinc etiam postea in bellis, quae cum finitimis gerebat, capras ante signa habere solebat. Urbem quoque Edessam, ob memoriam muneris[1] Aegas,[2] populum Aegeadas vocavit. Pulso deinde Mida, qui partem Macedoniae tenebat, aliisque regibus, in locum omnium solus successit, primusque adunatis gentibus variorum populorum, veluti unum corpus Macedoniae fecit.

2. *Primi Macedoniae reges.* (Just. VII. 2.)

Post hunc Perdicca regnavit, cujus et vita illustris et mortis postrema[3] memorabilia fuere; siquidem senex moriens Argaeo filio monstravit locum, quo condi vellet, ibique non sua tantum, sed et succedentium sibi regum ossa poni jussit; praefatus,[4] quoad ibi conditae posterorum reliquiae forent, regnum in familia mansurum; creduntque exstinctam in Alexandre stirpem,[5] quod locum sepulturae mutaverit. Argaeus, moderate et cum amore popularium administrato regno, successorem filium Philippum reliquit: qui immatura morte raptus Aërŏpum, parvulum admodum, instituit heredem. Illis temporibus Macedonibus assidua certamina cum Thracibus et Illyriis[6] fuere. Tum quoque Illyrii, infantiam regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggrediuntur. Qui quum primo proelio pulsi essent, rege suo in

cunis prolato et pone aciem posito, acrius certamen repetivere Conserto itaque proelio magna caede Illyrios fudere, ostenderuntque hostibus suis, priore bello regem[1] Macedonibus, non virtutem defuisse.

3. *Amynta rex.* (Just. VII. 4.)

Multis annis interjectis, per ordinem successionis regnum ad Amyntam pervenit. Hic quoque rex insigni industria et omnibus imperatoriis virtutibus instructus fuit. Ex Eurydice tres filios sustulit,[2] Alexandrum, Perdiccam et Philippum, Alexandri Magni patrem, et filiam Euryŏnen. Cum Illyriis et Olynthiis[3] gravia bella gessit. Insidiis autem Eurydĭces uxoris, quae regnum adultero tradendum susceperat, occupatus fuisset,[4] nisi filia matris consilia et scelus prodidisset. Functus itaque multis periculis senex decessit, regno maximo ex filiis Alexandro tradito.

4. *Philippus, Thebis eruditus, fratri Perdiccae succedit.* (Just. VII. 5.)

Alexander inter prima initia regni bellum ab Illyriis pacta mercede redemit; et interjecto tempore, Philippo fratre obside dato, cum Thebanis pacem conciliat; quae res ad egregiam Philippi indolem formandam plurimum valuit. Siquidem per triennium Thebis obses habitus in domo Epaminondae, summi et philosophi et imperatoris, ad hujus viri exemplum se composuit. Nec multo post Alexander, insidiis Eurydices matris petitus, occubuit:[5] cui Amyntas, quum in scelere esset deprehensa, propter communes liberos pepercerat, ignarus, eam his ipsis aliquando exitiosam fore. Frater quoque ejus Perdicca pari insidiarum fraude decipitur,[6] parvo filio relicto. Nuntio de fratris morte accepto, Philippus clam Thebis aufugit, domumque rediit, ubi diu pupilli regis tutorem egit. At ubi graviora bella imminebant, serumque auxilium in exspectatione infantis[7] erat, compulsus a populo regnum suscepit.

5. *Initia regni.* (Justin. VII. 6.)

Principium imperii non satis prosperum videbatur, quum hinc[8] insidiarum metus, inde inopia regni, continuis bellis exhausti, immaturam adolescentis aetatem urgeret.[9] Simul finitimae gentes, velut conspiratione facta ad opprimendam Macedoniam, ex diversis locis uno tempore regnum bello

lem exscindit, et fratres olim destinato supplicio tradit, simulque praeda ingenti fruitur. Inde auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia[1] occupat. His ita gestis, forte evenit, ut eum fratres duo,[2] reges Thraciae, disceptationum suarum judicem eligerent. Sed Philippus ad judicium, velut ad bellum, instructo exercitu supervenit, et regno utrumque spoliavit.

8. *In Graeciam penetrat.* (Just. VIII. 4.)

Paulo post Thebani iterum legatos ad eum miserunt, qui rogarent, ut bellum contra Phocenses susceptum renovaret. Contra Phocensium legati, adhibitis[3] Lacedaemoniis et Atheniensibus, bellum deprecabantur,[4] cujus ab eo dilationem ter jam emerant. Secreto igitur auditis utriusque populi legationibus, his[5] veniam belli pollicetur;[6] illis contra, venturum se auxiliumque laturum. Utrosque vetat parare bellum aut metuere. Sic factum est, ut, securis omnibus, Thermopylarum angustias occuparet. Tunc primum Phocenses captos[7] se fraude Philippi animadvertentes, trepidi ad arma confugiunt. Sed neque spatium erat instruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia; et Philippus excidium minabatur, ni deditio fieret. Victi igitur necessitate, pacta salute,[8] se dediderunt. At, deditione facta, caeduntur passim rapiunturque, haud secus ac si proelio superati essent.

9. *Bella secunda gerit in Chersoneso et in Scythia.* (Justin. VIII. 6. IX. 1.)

His peractis, rebusque Macedoniae compositis, Dardănos[9] caeterosque finitimos expugnat, et Byzantium, nobilem urbem et maritimam, obsidione cingit. Quam quum expugnare non posset, profectus cum fortissimis, se ad Chersonensium urbes[10] convertit, plurimasque earum sibi subjicit, filiumque Alexandrum, decem et octo annos natum, ad se arcessit, ut prima stipendia sub patris militia faceret. In Scythiam quoque praedandi causa profectus est; Scythasque, et virtute et numero praestantes, dolo vicit. Viginti millia puerorum ac feminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil.[11] Aliquot millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa.

10. *Graecos ad Chaeroneam vincit.* (Just. IX. 3.)

Ab hac expeditione reversus, diu dissimulatum[1] bellum Atheniensibus[2] infert, quorum causae Thebani se junxerunt. Facta igitur inter duas antea infestissimas civitates societate, legationibus Graeciam fatigant.[3] Communem hostem putant communibus viribus summovendum; neque enim cessaturum Philippum, nisi omnem Graeciam domuerit. Motae quaedam civitates Atheniensibus se jungunt, quasdam autem ad Philippum belli metus traxit. Proelio ad Chaeroneam[4] commisso, quum Athenienses longe majore militum numero praestarent, tamen assiduis bellis indurata Macedonum virtute vincuntur. Non tamen immemores pristinae virtutis ceciderunt; quippe adversis vulneribus[5] omnes loca, quae tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Hic dies universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finivit.

11. *Bellum contra Persas parat.* (Just. IX. 4, 5.)

Hujus victoriae callide dissimulata laetitia est. Non solita sacra Philippus illa die fecit; non in convivio risit; non coronas aut unguenta sumsit; et, quantum in illo fuit, ita vicit,[6] ut victorem nemo sentiret. Atheniensibus, quos passus[7] infestissimos fuerat, et captivos gratis remisit, et bello consumtorum corpora sepulturae reddidit. Compositis in Graecia rebus, omnium civitatum legatos ad formandum rerum praesentium statum evocari Corinthum[8] jubet. Ibi pacis leges universae Graeciae pro meritis singularum civitatum statuit, conciliumque omnium, veluti unum senatum, ex omnibus legit. Auxilia deinde singularum civitatum describuntur; nec dubium erat, eum Persarum imperium et suis et Graeciae viribus impugnaturum esse.

12. *Philippus interficitur.* (Just. IX. 6,)

Interea dum auxilia a Graecia coëunt, nuptias Cleopatrae filiae, et Alexandri,[9] quem regem Epiri fecerat, magno apparatu celebrat. Ubi quum Philippus ad ludos spectandos, medius inter duos Alexandros, et filium et generum, contenderet,[10] Pausanias, nobilis ex Macedonibus adolescens, occupatis augustiis, Philippum in transitu obtruncat. Hic ab Attalo[11] indigno modo tractatus, quum saepe querelam ad Philippum frustra detulisset, et honoratum insuper ad-

versarium videret, iram in ipsum Philippum vertit, ultionemque quam ab adversario non poterat,[1] ab iniquo judice exegit.

13. *Olympias mariti percussorem muneribus condecorat.* (Justin. IX. 7, 8.)

Creditum est etiam, percussorem inmissum ab Olympiade, matre Alexandri, fuisse; nec ipsum Alexandrum ignarum paternae caedis exstitisse, quod Philippus, Olympiade repudiata, Cleopātram, Parmeniōnis sororem, in matrimonium duxisset. Olympias certe fugienti percussori equos praeparatos habuit. Ipsa deinde, quum regis nece audita accurrisset, eadem nocte, qua venit, Pausaniae in cruce pendentis capiti coronam auream imposuit. Paucos deinde post dies refixum corpus interfectoris super reliquias mariti cremavit, et tumulum ei fecit eodem in loco, parentarique eidem quotannis curavit. Post haec Cleopatram, a qua pulsa Philippi matrimonio fuerat, filiâ ejus in matris gremio interfectâ, finire vitam suspendio coëgit. Novissime gladium quo rex percussus est, Apollini consecravit. Caeterum decessit Philippus anno aetatis quadragesimo septimo, quum annis viginti quinque regnasset.

14. *Philippus cum Alexandro filio comparatus.* (Justin. IX. 8.)

Philippo Alexander filius successit, et virtute et vitiis patre major. Vincendi ratio utrique diversa. Hic aperte, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere[2] hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere; hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Vini uterque nimis avidus; sed ebrietatis diversa ratio. Pater de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre; Alexander non in hostem, sed in suos saevire. Regnare ille cum amicis volebat; hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Litterarum cultus utrique similis. Solertiae pater majoris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus promtior; ille nec sociis abstinebat. Frugalitati pater, luxuriae filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummavit.

milis prosiluit, atqua ita hostias caedit, precatus, ne se regem illae terrae invitae accipiant. In Ilio quoque ad tumulos heroum, qui Trojano bello ceciderant, parentavit.

18. *Prima congressione Persas vincit.* (Just. XI. 6.)

Inde hostem petens milites a populatione Asiae prohibuit, *parcendum suis rebus*[1] praefatus, *nec perdenda ea, quae possessuri venerint.* In exercitu ejus fuere peditum triginta duo millia, equitum quatuor millia quingenti, naves centum octoginta duae. Hac tam parva manu universum terrarum orbem vincere est aggressus. Quum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non juvenes robustos, sed veteranos, qui cum patre patruisque militaverant, elegit: ut non tam milites, quam magistros militiae electos putares. Prima cum hoste congressio in campis Adrastiae[2] fuit. In acie Persarum sexcenta millia militum fuerunt, quae non minus arte quam virtute Macedonum superata, terga verterunt. Magna itaque caedes Persarum fuit. De exercitu Alexandri novem pedites, centum viginti equites cecidere; quos rex magnifice humatos statuis equestribus donavit; cognatis eorum autem immunitates a publicis muneribus dedit. Post victoriam major pars Asiae[3] ad eum defecit. Habuit et plura proelia cum praefectis Darii, quos jam non tam armis, quam terrore nominis sui vicit.

19. *Gordii nodum fatalem solvit.* (Just. XI. 7.)

Post haec Gordium urbem petit, quae posita est inter Phrygiam majorem et minorem, quod audierat, in ea urbe, in templo Jovis, jugum plaustri Gordii[4] esse positum; cujus nexum si quis solvisset, eum tota Asia regnaturum, antiqua oracula cecinisse. Capta igitur urbe quum in templum venisset, illud jugum requisivit; quo monstrato, quum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, gladio loramenta caedit, dicens *nihil interest, quo modo nodus solvatur;* atque ita resolutis nexibus, latentia in nodis capita invenit.

20. *In gravem morbum incidit.* (Just. XI. 8.)

Haec illi agenti nuntiatur, Darium cum ingenti exercitu adventare. Itaque timens angustias, magna celeritate Taurum transcendit. Quum Tarsum[5] venisset, captus amoenitate Cydni fluminis, per mediam urbem influentis, projectis

armis, plenus pulveris ac sudoris, in praefrigidam undam se projecit. Tum repente tantus nervos ejus occupat rigor, ut jam de eo actum esse videretur. Unus erat ex medicis, nomine Philippus, qui remedium polliceretur; sed hunc Parmenionis epistolae pridie e Cappadocia missae suspectum faciebant. Hic enim, ignarus infirmitatis Alexandri, scripserat, a Philippo medico caveret; nam corruptum illum a Dario ingenti pecunia esse. Alexander tamen tutius est ratus, dubiae se fidei medico credere, quam indubitato[1] morbo perire. Accepto igitur poculo, epistolas medico tradidit; atque ita inter bibendum oculos in vultum legentis intendit. Ut securum conspexit, laetior factus est, sanitatemque quarta die recepit.

21. *Darium vincit ad Issum.* (Just. XI. 9.)

Interea Darius cum quadringentis millibus peditum, ac centum millibus equitum in aciem procedit. Movebat haec multitudo hostium respectu paucitatis suae Alexandrum; nec tamen bellum differre ratus, circumvectus suos, singulas gentes diversa oratione alloquitur. Illyrios et Thracas opum ac divitiarum[2] ostentatione; Graecos veterum bellorum memoriâ, internecivique cum Persis odii accendebat. Macedones autem nunc Europae victae admonet, nunc Asiae expetitae; nec inventas illis toto orbe pares vires gloriatur.[3] Nec Darii segnis opera in ordinanda acie fuit. Quippe ipse omnia circumire, singulos hortari, veteris gloriae Persarum admonere. Post haec proelium ingentibus animis committitur. In eo uterque rex vulneratur. Tam diu certamen anceps fuit, quoad fugeret Darius. Exinde caedes Persarum secuta est. In castris eorum multum auri caeterarumque opum inventum. Inter captivos castrorum mater et uxor et filiae duae Darii fuere. Ad quas visendas quum Alexander venisset, conspectis armatis invicem se complexae, velut statim moriturae, complorationem edidere. Provolutae deinde genubus Alexandri mortis dilationem precantur, dum Darii corpus sepeliverint. Motus tanta mulierum pietate Alexander, et Darium vivere dixit, et timentibus mortis metum demsit, easque haberi ut reginas praecepit.

22. *Plurimae Asiae gentes victori se subjiciunt.* (Justin. XI. 10.)

Post hoc proelium Parmenionem ad occupandam Persicam classem, aliosque amicorum suorum ad recipiendas Asiae ci-

vitates misit, quae statim, audita fama victoriae, in potestatem victorum venerunt. Tunc in Syriam proficiscitur, ubi obvios cum infulis multos Orientis reges habuit. Ex his, pro meritis singulorum, alios in societatem recepit, aliis regnum ademit, suffectis in loca eorum novis regibus. Insignis praeter caeteros fuit Abdalonymus, rex ab Alexandro Sidoniae[1] constitutus. Quem Alexander, quum operam locare ad puteos exhauriendos hortosque irrigandos solitus esset, regem fecerat, spretis[2] nobilibus, ne generis id, non dantis, beneficium putarent.[3] Quum Tyriorum legatis, qui ei coronam auream magni ponderis miserant, significasset, se Tyrum[4] ire velle ad vota Herculi reddenda, iique ejus introitum deprecarentur, ita exarsit, ut urbi excidium minaretur. Confestim admoto exercitu, post diuturnam obsidionem, Tyriis muros animose defendentibus, urbs tandem per proditionem capitur.

23. *Ab oraculo Jovis Ammonis Alexander salutatur deus.* (Justin. XI. 11.)

Inde Rhodum Alexander, Aegyptum, Ciliciamque sine certamine cepit. Ad Jovem deinde Ammonem[5] pergit, consulturus et de eventu futurorum et de origine sua. Nam mater ejus Olympias gloriata erat, Alexandrum non ex Philippo, sed ex serpente ingentis magnitudinis esse conceptum. Igitur Alexander, cupiens, originem divinam sibi tribui, subornat antistites, quid sibi responderi velit per praemissos docens. Itaque ingredientem templum statim antistites, ut Ammonis filium, salutant. Simul victoriam omnium bellorum, possessionemque terrarum dari respondetur. Comitibus quoque ejus imperatum, ut Alexandrum pro deo, non pro rege colerent. Reversus ab Ammone Alexandriam[6] condidit, et coloniam Macedonum caput esse Aegypti jubet.

24. *Darius pacem precatur frustra.* (Just. XI. 12.)

Darius quum Babyloniam profugisset,[7] per epistolam Alexandrum precatur, redimendarum sibi captivarum potestatem faciat,[8] inque eam rem magnam pecuniam pollicetur. Sed Alexander in pretium captivarum regnum omne, non pecuniam petit. Interjecto tempore aliae epistolae Darii Alexandro redduntur, quibus filiae matrimonium et regni portio offertur. Sed Alexander *sua sibi dari*[9] rescripsit, jussitque regni arbitria[10] victori[11] permittere. Tum, spe pacis amissa,

vehiculo Darium, multis quidem vulneribus confossum, sed spirantem adhuc invenit, et unum e captivis ad eum adduxit. Quem quum rex ex voce civem esse cognovisset, Alexandro dicere jubet, *se plurimam ei gratiam habere, quod in matrem liberosque suos regium, non hostilem animum exhibuisset. Quare se precari superûm inferûmque numina, et deos regni custodes et praesides, ut illi terrarum omnium contingat imperium.* Posthaec porrecta manu exspiravit. Quae ubi Alexandro nuntiata sunt, viso corpore defuncti, tam indignam mortem lacrymis prosecutus est; corpusque regio more sepeliri jussit.

27. *Graecarum civitatum motus ad libertatem recuperandam.* (Justin. XII. 1.)

Dum haec in Asia gerebantur, Graecia fere omnis, spe recuperandae libertatis, ad arma concurrerat, auctoritatem Lacedaemoniorum secuta. Dux hujus belli Agis, rex Lacedaemoniorum, fuit. Quem motum Antipater, dux ab Alexandro in Macedonia relictus, in ipso ortu oppressit. Magna tamen utrimque caedes fuit. Agis rex, quum suos terga dantes videret, dimissis satellitibus, ut Alexandro felicitate, non virtute inferior videretur, tantam stragem hostium edidit, ut agmina interdum fugaret. Ad postremum, etsi a multitudine victus, gloria tamen omnes vicit.

28. *Alexander Persarum vitam et cultum imitatur.* (Justin. XII. 3.)

Alexander autem, Hyrcanis[1] Mardisque[2] subactis, habitum regum Persarum et diadema, insolitum antea regibus Macedonicis, assumit, amicos quoque longam vestem auratam et purpuream sumere jubet. Ut luxum quoque Persarum imitaretur, ingentes epularum apparatus fecit, et convivia juxta regiam magnificentiam instruxit.

29. *Alexander suorum in se animos exacerbat.* (Justin. XII. 5.)

Tum etiam primum hostili odio in suos saevire coepit. Maxime indignabatur, carpi se sermonibus suorum, quod Philippi patris patriaeque mores subvertisset. Propter quae crimina[3] Parmenio senex, dignitate regi proximus, cum Philota filio interficitur. Fremere itaque omnes universis castris coepere, innoxii senis filiique casum miserantes: interdum, *se quoque non debere melius sperare* dicentes. Quae quum nuntiata

Alexandro essent, simulat, se ex amicis quosdam in patriam victoriae nuntios missurum. Hortatur milites, ut suis scriberent; datasque epistolas tacite ad se deferri jubet; ex quibus cognito de se singulorum judicio,[1] in unam cohortem eos, qui de rege durius opinati fuerant[2] contribuit, aut consumturus eos,[3] aut in ultimis terris in colonias distributurus. Inde Drancas, Euergetas, caeterosque populos, qui ad radicem Caucasi habitabant, subegit. Interea unus ex amicis Darii, Bessus, vinctus adducitur, qui regem non solum prodiderat, verum etiam interfecerat. Quem in ultionem perfidiae fratri Darii excruciandum tradidit. Et ut his terris nomen relinqueret, urbem Alexandriam super amnem Tanaïn[4] condidit. In Bactrianis quoque Sogdianisque[5] duodecim urbes condidit, ibique eos, quos in exercitu seditiosos cognoverat, habitare jussit.

30. *Clitum sua manu interficit.* (Justin. XII. 6.)

His ita gestis solemni die amicos in convivium vocat. Ubi orta inter ebrios rerum a Philippo gestarum mentione, ipse se patri praeferre coepit, assentante majore convivarum parte. Itaque quum unus e senibus, Clitus, fiduciâ amicitiae regiae, memoriam Philippi tueretur, laudaretque ejus res gestas, Alexander adeo ira exarsit, ut, telo a satellite rapto, Clitum in convivio trucidaret. Post, irae aestu subsidente, in poenitentiam versus, mori voluit. Mansit haec moriendi voluntas etiam insequentibus diebus, donec exercitus universi precibus exoratus est, precantis, ne ita unius mortem doleat, ut universos perdat; neque milites in ultimam deductos barbariam, inter infestas gentes destituat. Revocato igitur ad bellum animo, Chorasmos et Dahas[6] in deditionem accepit.

31. *In Indiam penetrat.* (Justin. XII. 7.)

Post haec Indiam petit, ut Oceano finiret imperium. Cui gloriae ut etiam exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum et arma militum argento inducit; exercitumque suum, ab argenteis clypeis, Argyraspidas[7] appellavit. Quum ad Nysam[8] urbem venisset, oppidanis non repugnantibus, fiduciâ Liberi[9] patris, a quo condita urbs erat, parci jussit. Tunc ad sacrum montem duxit exercitum, vite hederaque non aliter vestitum, quam si manu cultus exornatusque esset. Ubi ad montem accessit, exercitus, repentino mentis impetu correptus, ululare coepit, et Bacchantium more discurrit.

32. *Porum, regem Indiae, superat.* (Just. XII. 8.)

Unus ex regibus Indorum fuit, Porus nomine, viribus corporis et animi magnitudine pariter insignis; qui ad famam de Alexandri adventu bellum paraverat. Commisso proelio,[1] Alexandrum ad singulare certamen provocat. Nec Alexander pugnae moram facit; sed prima congressione vulnerato equo, quum praeceps in terram decidisset, concursu satellitum servatur. Porus multis vulneribus obrutus capitur. Qui victum se adeo doluit, ut, quum veniam ab hoste invenisset, neque cibum capere vellet, neque vulnera curari pateretur; aegreque ab eo obtentum est, ut vellet vivere. Quem Alexander ob honorem virtutis incolumem in regnum remisit. Duas ibi urbes condidit, unam Nicaeam,[2] alteram ex nomine equi Bucephalen[3] vocavit.

33. *Macedones in patriam redire cupiunt.* (Justin. XII. 8.)

Quum ad Cuphites venisset, ubi eum cum ducentis millibus equitum hostes opperiebantur, exercitus omnis laboribus fessus, lacrymis eum precatur, finem tandem belli faceret; aliquando patriae reditusque meminisset, militumque annos respiceret. Ostendere[4] alius canitiem, alius vulnera, alius aetate consumtum corpus et cicatricibus obductum. Motus eorum precibus, veluti finem victoriis facturus castra solito magnificentiora fieri jussit, quorum molitionibus et hostis terreretur, et posteris sui admiratio relinqueretur. Nullum opus laetius milites fecerunt. Itaque caesis hostibus cum gratulatione in haec castra reverterunt.

34. *Alexander e vitae periculo aegre servatur.* (Justin. XII. 9.)

Inde Alexander ad amnem Acesinen[5] pergit; per quem in Oceanum devehitur, et in Ambros et Sigambros navigat. Quae gentes eum armatis octoginta millibus peditum, et sexaginta millibus equitum excipiunt. Quum proelio victor esset, exercitum ad urbem eorum duxit. Quam quum de muro, quem primus ceperat, a defensoribus desertam animadvertisset, in urbis planitiem sine ullo satellite desiliit. Itaque quum eum hostes solum conspexissent, clamore edito undique in eum concurrunt. Ubi obrui multitudine se vidit, trunco se, qui propter murum stabat, applicuit. Quum sic diu agmen sustinuisset, tandem, regis periculo cognito, amici ad eum desiliunt, ex quibus multi caesi; proeliumque tamdiu anceps

rent, quaerunt, *quem imperii faciat heredem*; respondit, *dignissimum*. Hac voce omnes amicos suos ad aemulam regni cupiditatem accendit. Sexta die, praeclusa voce, exemtum digito annulum Perdiccae tradidit, quae res gliscentem amicorum discordiam sedavit. Nam etsi non voce nuncupatus heres, judicio tamen electus esse videbatur.

38. *De Alexandri virtute et fortuna quaedam.* (Justin. XII. 16.)

Decessit Alexander mensem unum tres et triginta annos natus, vir supra humanum modum vi animi praeditus. Omina quaedam magnitudinem ejus in ipso ortu portendisse existimabantur. Quo die natus est, pater ejus nuntium duarum victoriarum accepit; alterius belli Illyrici, alterius certaminis Olympiaci, in quod quadrigas miserat. Puer acerrimus[1] litterarum studiis[2] eruditus fuit. Exacta pueritia, per quinquennium Aristotele, philosopho praestantissimo, usus est magistro. Accepto tandem imperio tantam militibus suis fiduciam fecit, ut, illo praesente, nullius hostis arma timerent. Itaque cum nullo hoste unquam congressus est, quem non vicerit; nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit. Victus denique est non virtute hostili sed insidiis suorum et fraude.

39. *Luctus barbarorum, Macedonum laetitia.* (Justin. XIII. 1.)

Exstincto in ipso aetatis et victoriarum flore[3] Alexandro Magno, triste apud omnes tota Babylone silentium fuit. Ut vero nuntius de ejus morte disseminatus est, omnes barbarae gentes, paullo ante ab eo devictae, non ut hostem, sed ut parentem luxerunt. Mater quoque Darii regis, audita morte victoris, in quo pietatem filii erat experta, mortem sibi ipsa conscivit. Contra Macedones, non ut civem, sed ut hostem defunctum gaudebant; severitatem nimiam et assidua belli pericula exsecrantes. Huc accedebat, quod principes regnum et imperia, vulgus militum thesauros, veluti praedam, spectabant. Erant enim in thesauris quinquaginta millia talentûm,[4] quae sibi divisum iri sperabant. Nec amici Alexandri frustra regnum spectabant. Nam tantae virtutis et venerationis erant, ut singulos reges putares. Neque unquam ante Macedonia vel ulla gens alia tanto clarorum virorum proventu floruit; quos primo Philippus, mox Alexander tanta cura legerat, ut non tam ad societatem belli, quam in successionem regni electi viderentur.

40. *Duces de imperio constituendo consilia ineunt.* (Justin. XIII. 2.)

Caeterum, defuncto Alexandro, armati in regiam coëunt, ad formandum rerum praesentium statum.[1] Perdicca censet, Roxanes, regiae conjugis, quam gravidam relinquerat, partum esse exspectandum, et si puerum peperisset, hunc patri successorem fore. Meleager negat, exspectandum,[2] dum reges nascerentur, quum jam genitis uti liceret. Esse Pergami puerum, filium Alexandri, natum ex Barsine, nomine Herculem; seu mallent juvenem, esse in castris fratrem Alexandri, Aridaeum, comem et cunctis non suo tantum, verum et patris Philippi nomine acceptissimum. Ptolemaeus recusabat regem Aridaeum, tum, quod ex Larissaeo scorto natus esset, tum ob majorem, qua laborabat, valetudinem;[3] nam verendum esse, ne ille nomen regis, alius imperium teneret; melius esse ex his legi, qui pro virtute regi suo proximi fuerint. Vicit Perdiccae sententia, consensu universorum. Placuit itaque Roxanes exspectari partum, et si puer natus fuisset, tutores Leonatum, Perdiccam, Crateron et Antipatrum constituunt, confestimque in tutorum obsequia jurant.[4]

41. *Aridaeus, Philippi filius, rex creatur.* (Justin. XIII. 3, 4.)

Quum equites idem fecissent, pedites indignati, nullas sibi consiliorum partes relictas,[5] Aridaeum, Alexandri fratrem, regem appellant, satellitesque illi ex turba sua legunt, et nomine Philippi patris vocari jubent. Magna hinc in castris seditione orta, tandem ab equitibus quoque Aridaeus rex agnoscitur. Servata est portio regni Alexandri filio, si natus esset. His ita compositis, Macedoniae et Graeciae Antipater praeponitur: regiae pecuniae custodia Cratero traditur: castrorum et exercitus cura Meleagro et Perdiccae assignatur; jubeturque Aridaeus rex corpus Alexandri in Hammonis templum deducere. Tunc Perdicca, lustratione castrorum indicta, seditiosos supplicio occulte tradi jubet. Reversus inde, provincias inter principes divisit.

42. *Bellum in Graecia ortum per Antipatrum comprimitur.* (Justin. XIII. 5.)

Dum haec in Oriente geruntur, in Graecia Athenienses et Aetoli bellum, quod jam vivo Alexandro moverant, summis viribus instruebant. Causa belli erat, quod reversus ab In-

dia Alexander epistolas in Graeciam scripserat, quibus omnium civitatum exsules restituebantur. Quae litterae recitatae praesente universa Graecia, in mercatu Olympiaco,[1] magnos motus excitaverunt, quod plurimi non legibus, sed per factionem principum pulsi fuerant principesque verebantur, ne revocati potentiores in republica fierent. Palam igitur jam tum multae civitates libertatem bello vindicandam fremebant.[2] Principes tamen omnium Athenienses et Aetoli fuerunt. Bello igitur exorto, Antipater, cui Graecia sorte obvenerat, Leonatum ex Asia in auxilium vocavit. Qui quum venire cum exercitu nuntiatus esset, obvii ei Athenienses cum instructis copiis fuere, ibique equestri proelio, gravi vulnere ictus, exstinguitur. Sed Antipater, exercitu exstincti recepto, quum par hostibus etiam proelio videretur, solutus obsidione, qua cinctus fuerat Lamiae,[3] in Macedoniam concessit; Graecorum quoque copiae, finibus Graeciae hoste depulso, in urbes dilapsae sunt.

43. *Certamina inter duces Alexandri.* (Justin. XIII. 6. XV. 1.)

Post haec bellum inter Perdiccam et Antigonum oritur, quod, velut incendium, mox latius serpsit. Macedonia, in duas partes discurrentibus[4] ducibus, in sua viscera armatur, ferrumque a barbaris in civilem sanguinem[5] vertit. In hoc bello Perdiccas occisus est; pluresque ejusdem partis duces perierunt. Et jam finitum certamen inter successores Alexandri Magni videbatur, quum repente inter ipsos victores nata est discordia. Ptolemaeus[6] et Cassander, Antipatri filius, inita cum Lysimacho et Seleuco societate, contra Antigonum bellum terra marique enixe instruunt. Tenebat Ptolemaeus Aegyptum cum Africae parte minore et Cypro et Phoenice. Cassandro parebat Macedonia cum Graecia. Asiam et partes Orientis occupaverat Antigonus, cujus filius Demetrius, prima belli congressione, a Ptolemaeo apud Gamalam[8] vincitur. In quo proelio major Ptolemaei moderationis gloria, quam ipsius victoriae fuit. Siquidem et amicos Demetrii non solum cum suis rebus, verum etiam additis insuper muneribus, dimisit; et ipsius Demetrii privatum omne instrumentum[9] ac familiam[10] reddidit, dicens; non se propter praedam, sed propter dignitatem inisse bellum, indignatum, quod Antigonus, devictis diversae factionis ducibus, solus communis victoriae praemia corripuisset.

virtus clarissima fuit. Post mortem Alexandri, occupato regno Orientis, urbem condidit, patris nomine Antiochiam vocatam, et campos urbi vicinos Apollini dicavit, a quo generis originem ducebat. Multa in Oriente post divisionem inter socios regni Macedonici bella gessit. Principio Babyloniam cepit: inde auctis ex victoria viribus Bactrianos expugnavit. Compositis deinde in Oriente rebus, in bellum cum Antigono descendit. Conjunctis igitur omnium sociorum copiis, proelium[1] committitur; in eo Antigonus occiditur; Demetrius filius ejus in fugam vertitur. Sed socii, profligato hostili bello, denuo in semet ipsos arma verterunt; et, quum de praeda non conveniret, iterum in duas factiones diducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemaeus Lysimacho junguntur. Cassandro defuncto Philippus filius succedit. Sic quasi ex integro nova Macedoniae bella nascuntur.

47. *Regnum Macedoniae, parricidiis inquinatae, Demetrius occupat.* (Justin. XVI. 1.)

Post Cassandri regis, filiique ejus Philippi continuas mortes,[2] Thessalonīce, uxor Cassandri, non multo post tempore, ab Antipatro filio occiditur. Causa parricidii fuit, quod, post mortem mariti, in divisione inter fratres regni, in alterum filium Alexandrum videbatur fuisse propensior. Quod facinus eo gravius visum est, quod nullum maternae fraudis vestigium fuit. Ob haec igitur Alexander, in ultionem maternae necis gesturus cum fratre bellum, auxilium a Demetrio petit: nec Demetrius, spe invadendi Macedonici regni, moram fecit. Cujus adventum verens Lysimachus persuadet genero Antipatro, ut malit cum fratre suo in gratiam redire, quam paternum hostem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem quum praesensisset Demetrius, per insidias Alexandrum interfecit, regnumque Macedoniae occupavit. Lysimachus quoque, quum bello Dromichaetis, regis Thracum, premeretur, tradita ei[3] altera parte Macedoniae, quae Antipatro ejus genero obvenerat, pacem cum eo fecit.

48. *Demetrius a Pyrrho, Epiri rege, Macedonia pellitur.* (Justin. XVI. 2.)

Igitur Demetrius, totius Macedoniae viribus instructus, Asiam occupare statuit. Sed Ptolemaeus, Seleucus et Lysimachus, pacta societate conjunctisque copiis, bellum adversus Demetrium transferunt in Europam. His comitem se jungit Pyrrhus, rex Epiri, sperans, Demetrium non difficilius amittere Macedoniam posse, quam acquisierat. Nec

spes frustra fuit; quippe, exercitu ejus corrupto, ipsoque in fugam acto, regnum Macedoniae occupavit. Demetrius autem, a tot exercitibus circumventus, quum posset honeste mori, turpiter se dedere Seleuco maluit. Finito bello, Ptolemaeus cum magna rerum gestarum gloria moritur, regno minimo natu ex filiis[1] relicto.

49. *Lysimachus et Seleucus, ultimi commilitonum Alexandri, pereunt.* (Just. XVI. 3. XVII. 1, 2.)

Sed mox inter Lysimachum et Pyrrhum, socios paullo ante adversus Demetrium, bellum exarsit. Victor Lysimachus, pulso Pyrrho, Macedoniam occupavit. Inde Thraciae bellum intulit. Mox post varia ostenta, quae Lysimacho dira portendebant, Agathoclem, filium, Arsinoē noverca veneno interfecit. Hoc parricidium principum secuta est caedes, luentium supplicia, quod occisum juvenem dolebant. Itaque et hi, qui caedibus superfuerant, et hi, qui exercitibus praeerant, certatim ad Seleucum deficiunt, eumque compellunt, ut bellum Lysimacho inferret. Ultimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit. Lysimachus quatuor et septuaginta annos natus erat; Seleucus septem et septuaginta. Sed in hac quoque aetate utrique juvenilis erat animus, imperiique cupiditatem insatiabilem gerebant. Lysimachus in eo bello strenue[2] moritur,[3] amissis ante variis casibus quindecim liberis. Seleucus autem, solum se de cohorte Alexandri superesse gavisus, post septem menses a Ptolemaeo Cerauno,[4] cujus sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, per insidias circumventus, occiditur, regnumque Macedoniae, quod Lysimacho eripuerat, cum vita pariter amittit.

50. *Motus in Graecia.* (Justin. XXIV. 1. 3.)

Paulo post, dissidentibus inter se Ptolemaeo Cerauno et Antiocho[5] et Antigono[6] regibus, omnes ferme Graeciae civitates, ducibus Spartanis, ad spem libertatis erectae, in bellum prorumpunt; et, ne cum Antigono, sub cujus regno erant, bellum cepisse viderentur, socios ejus Aetolos aggrediuntur, causam belli praetendentes, quod sacratum Apollini campum Cirrhaeum[7] per vim occupassent. Conjuncto exercitu, Aetolorumque finibus devastatis, magnam cladem passi sunt. Deinde, Spartanis bellum reparantibus, auxilium multae gentes negaverunt, existimantes, dominationem eos, non libertatem Graeciae quaerere. Interea inter reges bellum finitur. Nam Ptolemaeus, pulso Antigono, quum regnum to-

tius Macedoniae occupasset, pacem cum Antiocho facit, affinitatemque cum Pyrrho, data ei in matrimonium filia sua, jungit. Sed brevi post, incredibilibus commissis sceleribus, a Gallis regno spoliatus captusque, vitam ferro, ut meruerat, amisit.

51. *Galli in Graeciam penetrant.* (Just. XXIV. 4, 5.)

Namque Galli, abundante multitudine, quum eos non caperent terrae, quae genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quaerendas miserunt. Ex his portio in Italia consedit, quae et Romam incendit,[1] alia portio in Illyricos sinus penetravit, et in Pannonia[2] consedit, ubi per multos annos bella cum finitimis gesserunt. Hortante deinde successu, divisis agminibus, alii Greciam, alii Macedoniam petivere. Tantusque terror Gallici nominis fuit, ut etiam reges non lacessiti ultro pacem ingenti pecunia mercarentur. Solus rex Macedoniae Ptolemaeus adventum Gallorum intrepidus audivit, hisque cum paucis et incompositis, quasi parricidiorum furiis agitatus, occurrit. Proelio commisso Macedones caeduntur. Ptolemaeus multis vulneribus saucius capitur; caput ejus amputatum et lancea fixum circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga servavit: caeteri aut capti aut occisi.

52. *Galli Brenno duce Delphos petunt.* (Justin. XXIV. 6.)

Paullo post Brennus, quo duce portio Gallorum in Graeciam se effuderat, cum centum et quinquaginta millibus peditum et quindecim millibus equitum in Macedoniam irrumpit. Victo exercitu, totius regionis agros depraedatur. Tum Delphos iter vertit ad Apollinis templum spoliandum. Hoc templum positum est in monte Parnasso, in rupe undique impendente, cujus praecipitiis, ut naturali praesidio, defenditur. Multa ibi et opulenta regum populorumque visuntur munera, quaeque magnificentia sua et gratam hominum voluntatem, et Apollinis veracitatem manifestant.

53. *Cum ingenti clade repelluntur.* (Just. XXIV. 7.)

Brennus quum in conspectu haberet templum, ad acuendos suorum animos, praedae ubertatem militibus ostendebat, statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul visebatur, solido auro fusas esse affirmabat. Qua asseveratione incitati Galli, simul et mero saucii,[3] sine respectu periculorum

rhi filio, funditus victus, cum septem comitibus fugiens salutis latebras in solitudine quaerit.

56. *Argos oppugnans occiditur.* (Just. XXV. 4, 5.)

Pyrrhus autem, in tanto fastigio regni collocatus, Graeciae Asiaeque imperium meditatur. Primum illi bellum adversus Spartanos fuit: ubi majore mulierum quam virorum virtute exceptus, Ptolemaeum filium, et exercitus partem robustissimam amisit. Ptolemaeus in oppugnatione urbis usque in mediam urbem procurrerat, ubi concursu multitudinis interfectus est. Cujus corpus ut relatum est patri, dixisse Pyrrhum ferunt, *aliquanto tardius eum, quam timuerit ipse, vel temeritas ejus meruerit, occisum esse.* Ipse Pyrrhus quum a Spartanis repulsus Argos petiisset, ibi inter confertissimos violentissime dimicans saxo de muris ictus occiditur. Satis constans inter omnes auctores fama est, nullum nec ejus, nec superioris aetatis regem comparandum Pyrrho fuisse. Nam et vitae sanctitate atque justitia optimos quosque aequabat; scientia rei militaris plurimos superabat, patriamque suam angustam et ignobilem, fama rerum gestarum toto orbe illustrem reddidit.

57. *Antigonus Gallos magno proelio fundit. Bella inter Macedonas et Epirotas.* (Just. XXVI. 1, 2, 3.)

Post mortem Pyrrhi non in Macedonia tantum, verum etiam in Asia Graeciaque magni bellorum motus fuere; civitatesque mutuis inter se odiis in bellum ruebant. Inter hos motus Antigonus, qui in Macedoniae regnum redierat, quum multiplici bello et Ptolemaei[1] regis et Spartanorum premeretur, novusque ei hostis, Gallograeciae exercitus, affluxisset,[2] parva manu adversus caeteros relicta, adversus Gallos totis viribus proficiscitur. Galli, quum hostiae ante pugnam caesae infaustum pugnae exitum portenderent, in furorem versi conjuges et liberos suos trucidant, cruentique ex recenti suorum caede in proelium proficiscuntur. Omnes occidione caesi. Post hujus pugnae eventum, Ptolemaeus et Spartani victorem hostium exercitum declinantes, in tutiora se recipiunt. Antigonus ubi eorum discessum videt, bellum Atheniensibus infert. In quo quum occupatus esset, Alexander, rex Epiri, ulcisci mortem patris Pyrrhi cupiens, fines Macedoniae depopulatur. Adversus quem quum reversus a Graecia Antigonus esset, transitione militum destitutus,[3] regnum Macedoniae cum exercitu amittit. Hujus filius Demetrius, puer admodum, absente patre, reparato exercitu, non solum

amissam Macedoniam recipit, verum etiam Epiri regno Alexandrum spoliat. Tanta fortunae varietas erat! Paullo post tamen Alexander, non minore Epirotarum desiderio, quam suorum auxilio, in regnum restituitur.

58. *Seleuci et Antiochi, fratrum, flagitia.* (Justin. XXVII. 1, 2.)

Mortuo Syriae rege Antiocho, Seleucus, qui in ejus locum successerat, parricidio novercae, Ptolemaei sororis, inquinatus, a Ptolemaeo terra marique victus est. Quum, quo se verteret, non haberet, Antiochi fratris auxilium implorat, oblata ei Asia inter fines Tauri montis, in praemium latae opis. Antiochus[1] autem, quum esset annos quatuordecim natus, supra aetatem regni avidus,[2] occasione arrepta fratrem regno spoliare conatus est. Ea tempestate omnia bella in exitium Asiae gerebantur. Seleucus et Antiochus fratres bellum propter Asiam gerebant; Ptolemaeus, rex Aegypti, sub specie sororiae ultionis, Asiae inhiabat: hinc Bithynus Eumenes, inde Galli Asiam depopulabantur. Victo Antiocho, quum Eumenes majorem Asiae partem occupasset, ne tunc quidem fratres a bello abstinuerunt. Antiochus victus, quum profugo nusquam tutus locus esset, ad Ptolemaeum hostem confugit. Sed Ptolemaeus eum servari arctissima custodia jubet. Hinc opera cujusdam mulieris, quam familiarius noverat, custodibus deceptis, elabitur, fugiensque a latronibus interficitur. Seleucus quoque iisdem ferme diebus, amisso regno,[3] equo praecipitatus obiit. Sic fratres, ambo exsules, ambo regno privati, similibus casibus, scelerum suorum poenas luerunt.

59. *Antigonus, Philippi tutor, regnum Macedoniae administrat.* (Justin. XXVIII. 3.)

Circa illa tempora Demetrius, rex Macedoniae, Antigoni Gonatae filius, relicto filio Philippo admodum parvulo decessit. Cui Antigonus Doson[4] tutor datus, accepta in matrimonium matre pupilli, regem se constitui laborabat. Interjecto deinde tempore, quum seditione minaci Macedonum clausus in regia teneretur, in publicum sine satellitibus procedit, projectoque in vulgus diademate ac purpura, *dare haec eos alteri* jubet, *qui aut imperare illis nesciat, aut cui parere ipsi sciant.* Commemorat deinde beneficia sua, *ut defectionem sociorum vindicaverit: ut Dardanos,*[5] *Thessalosque exsultantes morte Demetrii regis compescuerit; ut denique dignitatem Macedo-*

num non solum defenderit, verum etiam auxerit. Quorum si illos poeniteat, deponere se imperium et reddere illis munus suum; ipsi regem quaerant, cui imperent. Quum populus pudore motus recipere eum regnum juberet, tamdiu recusavit, quoad seditionis auctores supplicio traderentur.

60. *Spartanos superat. Horum in malis virtus.* (Justin. XXVIII. 4.)

Post haec bellum Spartanis infert, qui soli adhuc Macedonum arma contemnebant. Inter duas nobilissimas gentes summis viribus pugnabatur; quum hi pro vetere Macedonum gloria, illi non solum pro illibata libertate, sed etiam pro salute certarent. Victi Lacedaemonii[1] non ipsi tantum, sed etiam conjuges liberique magno animo fortunam tulere. Nemo quippe in acie saluti[2] pepercit; nulla amissum conjugem flevit; filiorum mortem senes laudabant; patribus in acie caesis filii gratulabantur; suam vicem omnes dolebant, quod non et ipsi pro patriae libertate cecidissent. Inter haec nullus in urbe strepitus, nulla trepidatio: magis omnes publicam quam privatam fortunam lugebant. Inter haec Cleomenes rex, post multas hostium caedes, toto corpore suo pariter et hostium cruore madens, supervenit; ingressusque urbem non humi consedit, non cibum aut potum poposcit, non armorum onus deposuit, sed acclinis parieti, quum quatuor millia sola ex pugna superfuisse conspexisset, hortatur, ut se ad meliora tempora reipublicae reservarent. Tum cum conjuge et liberis Aegyptum ad Ptolemaeum[3] proficiscitur, a quo honorifice susceptus, diu in summa dignatione vixit. Postremo post Ptolemaei mortem a filio ejus[4] cum omni familia interficitur. Antigonus autem fortunam tantae urbis miseratus a direptione milites prohibuit, veniamque his, qui superfuerunt, dedit. Nec multo post ipse decessit, regnumque Philippo pupillo, annos quatuordecim nato, tradidit.

61. *Multa imperia nova regum successione mutantur.* (Justin. XXIX. 1.)

Iisdem ferme temporibus prope universi orbis imperia nova regum successione mutata sunt. Nam et in Macedonia Philippus, mortuo Antigono, regnum suscepit; et in Asia, interfecto Seleuco,[5] impubes adhuc rex Antiochus[6] constitutus est. Aegyptum, patre ac matre interfectis, occupaverat Ptolemaeus, cui ex crimine facinoris cognomen *Philopator*[7] fuit. Etiam Spartani in locum Cleomenis suffecere Lycurgum; et

64. *Ptolemaei quaedam gesta.* (Just. XXX. 1, 2.)

Dum haec in Graecia geruntur, Ptolemaeus, qui ad necem utriusque parentis fratris quoque caedem adjunxerat, luxuriae se tradiderat, nec amici tantum, verum etiam omnis exercitus regis exemplum secuti erant. Quibus cognitis, Antiochus, rex Syriae, repentino bello multas urbes ejus oppressit, ipsamque Aegyptum aggreditur. Ptolemaeus autem exercitu in Graecia conducto, secundum proelium facit, spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute juvisset. Sed contentus recuperatione urbium, quas amiserat, facta pace, in pristinam luxuriam revolutus, regnum perditissimis hominibus tanquam praedam permisit. Eo mortuo Alexandrini, supplicio de praedonibus illis sumto, legatos miserunt ad populum Romanum, rogantes, ut tutelam pupilli susciperent, tuerenturque regnum Aegypti, quod jam Philippum et Antiochum, facta inter se pactione, inter se divisisse dicebant.

65. *Romani bellum contra Philippum suscipiunt.* (Justin. XXX. 3, 4.)

Grata legatio Romanis fuit, causam belli adversus Philippum quaerentibus, qui ipsis, belli Punici temporibus, insidiatus fuerat. Mittuntur itaque legati, qui Antiocho et Philippo denuntient, regno Aegypti abstineant. Mittitur et M. Lepidus in Aegyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administraret. Dum haec aguntur, legationes Attali et Rhodiorum, injurias Philippi[1] querentes, Romam venerunt. Quae res omnem cunctationem Macedonici belli senatui exemit. Statim igitur titulo[2] ferendi sociis auxilii, bellum adversus Philippum decernitur, legionesque cum consule in Macedoniam mittuntur. Nec multo post tempore tota Graecia, fiducia Romanorum ad spem pristinae libertatis erecta, bellum Philippo intulit; atque ita quum rex undique urgeretur, pacem petere compellitur. Repudiata a Senatu pace, proelium commissum est apud Cynoscephalas in Thessalia inter Philippum et Flaminium, Romanorum ducem. Macedonas Romana fortuna vicit. Fractus itaque bello Philippus, pace accepta, nomen quidem regium retinuit; sed omnibus Graeciae urbibus extra terminos antiquae possessionis amissis, solam Macedoniam retinuit.

66. *Antiochum, Hannibalis consiliis adjutum, Romani aggrediuntur.* (Justin. XXXI. 1, 2. 4.)

Interea Antiochus, rex Syriae, Aegyptum occupare statuit. Itaque Phoenicen, caeterasque Syriae quidem, sed juris Aegypti civitates, quum invasisset, legatos ad eum Senatus misit, qui denuntiarent ei, abstineret[1] regno pupilli populi Romani, postremis patris precibus fidei suae traditi. Quibus spretis, bellum ei denuntiatum est. Eodem tempore Nabis, Lacedaemoniorum tyrannus, multas Graeciae civitates occupaverat. Igitur Senatus, ne uno tempore duplici bello Romanae vires distinerentur, scripsit[2] Flaminino, si ei videretur, sicuti Macedoniam a Philippo, ita Graeciam a Nabide liberaret. Terribile quippe Antiochi bellum nomen Hannibalis fecit, quem aemuli ejus cum Antiocho inîsse societatem apud Romanos criminabantur. Qui quum sibi a Romanis insidias strui intellexisset, clam nave conscensa, cursum ad Antiochum direxit. Ad hunc quum pervenisset, negabat opprimi Romanos nisi in Italia posse. Cujus consilia quum regi placerent, Romani ad Antiochum legatos misere, qui et regis apparatum specularentur, et Hannibalem assiduo colloquio[3] suspectum invisumque redderent. Hic dolus bene illis successit. Quippe Antiochus reconciliatam ejus cum Romanis gratiam[4] existimans, eum veluti hostem proditoremque sui odisse coepit.

67. *Eum pugna navali superant.* (Just. XXXI. 6.)

Dum igitur Antiochus, falsa suspicione deceptus, omnem belli apparatum temere et negligenter agit, Acilius, Romanus consul, omnia bello necessaria summa industria parat. Itaque prima belli congressione[5] rex victus et fugatus castra ditia victoribus reliquit. Deinde quum in Asiam fugiendo pervenisset, poenitere neglecti consilii coepit, revocatoque in amicitiam Hannibale, omnia ex sententia ejus agere. Interim nuntiatur, Aemilium, Romanum ducem, cum octoginta rostratis navibus adventare. Itaque, priusquam sociae civitates ad hostes deficerent, decernere navali proelio statuit, sperans cladem in Graecia acceptam nova posse victoria aboleri. Tradita igitur Hannibali classe, proelium committitur.[6] Sed nec Asiani milites Romanis, neque naves eorum pares rostratis navibus fuerunt; minor tamen clades ducis solertia fuit.

68. *Antiochus pacis leges, a Romanis dictatas, repudiat.* (Justin. XXXI. 7.)

Novae hujus victoriae fama nondum Romam venerat, quum jam Lucius Scipio consul creatus esset, qui bellum in Asia gereret. Huic datur legatus frater Africanus, cui Poeni et Hannibal superati nomen fecerant. Trajicientibus autem in Asiam exercitum Scipionibus, jam utrobique profligatum bellum nuntiatum est, victumque Antiochum terrestri, Hannibalem navali bello invenerunt. Primo igitur adventu eorum legatos pacem petentes ad eos Antiochus mittit, peculiare donum Africano ferentes ipsius filium, quem rex parvo navigio trajicientem ceperat. Leges pacis dicuntur: *Ut rex Asia Romanis cederet, contentus regno Syriae esset, naves universas traderet, sumtumque omnem belli Romanis restitueret.* Quae quum nuntiata Antiocho essent, *nondum ita se victum esse* respondit, *ut spoliari se regno pateretur.*

69. *Magno proelio vincitur.* (Justin. XXXI. 8.)

Igitur quum ab utrisque bellum pararetur, ingressique Asiam Romani Ilion[1] venissent, mutua gratulatio Iliensium ac Romanorum fuit, Iliensibus, *Aeneam caeterosque duces cum eo a se profectos;* Romanis, *se ab his procreatos,* referentibus Tantaque laetitia omnium fuit, quanta esse post longum tempus inter parentes et liberos solet. Profectis ab Ilio Romanis, Eumenes rex cum auxiliis occurrit; nec multo post proelium cum Antiocho commissum.[2] Quum in dexteriore cornu pulsa legio Romana ad castra fugeret, M. Aemilius, tribunus militum, ad tutelam castrorum relictus, *armare se milites suos et extra vallum progredi jubet,* strictisque gladiis fugientibus minari, *morituros, nisi in proelium revertantur; infestioraque sua, quam hostium castra, inventuros.* Attonita tam ambiguo[3] periculo legio in proelium revertitur, magnaque caede edita, initium victoriae fuit. Caesa hostium quinquaginta millia, capta undecim. Antiocho pacem petenti nihil ad superiores conditiones additum. Captas civitates inter socios divisere Romani.

70. *Aetoli a Romanis victi. Achaeorum et Messeniorum bella.* (Justin. XXX. 4. XXXII. 1.)

Aetoli,[4] qui Romanis offensi, quod non omnem Macedoniam Philippo ademtam ipsis dedissent, Antiochum in bellum

73. *Ultima Hannibalis fata.* (Justin. XXXII. 4. Corn. Nep. Vita Hannib. c. 12.)

Hannibal, quum ab Antiocho Romani, inter caeteras conditiones pacis, deditionem ejus deposcerent, admonitus a rege, Cretam confugit. Ibi quum se propter nimias opes invidiosum[1] videret, contendit ad Prusiam, regem Bithyniae. Qui quum terrestri proelio ab Eumene victus esset, et bellum in mare transtulisset, Hannibal novo commento auctor victoriae fuit. Quippe omne serpentium genus[2] in fictiles lagenas conjici jussit, medioque proelio in naves hostium mitti. Id primum illis ridiculum visum. Sed ubi serpentibus repleri naves coepere, ancipiti periculo circumventi, hosti victoriam cessere. Quae ubi Romam nuntiata sunt, senatus legatos misit, qui utrumque regem in pacem cogerent, Hannibalemque deposcerent. His Prusias, quod petebant, negare non ausus, rogavit, ne id a se fieri postularent, quod adversus jus hospitii esset; ipsi, si possent, comprehenderent; locum, ubi esset, facile inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat in castello, quod ei a rege datum erat muneri, idque sic aedificarat, ut in omnibus partibus aedificii exitum sibi haberet; semper verens, ne usu eveniret, quod accidit. Huc quum legati Romanorum venissent, ac multitudine domum ejus circumdedissent, puer a janua prospiciens Hannibali dixit, plures praeter consuetudinem armatos apparere. Qui imperavit ei, ut omnes fores aedificii circumiret, ac propere sibi renuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. Puer quum omnes exitus occupatos ostendisset, sensit id non fortuito factum, sese peti, neque sibi diutius vitam esse retinendam. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum, venenum, quod semper secum habere consueverat, sumsit.

74. *Perseus a Romanis victus; Macedonia in provinciae Rom. formam redacta.* (Just. XXXIII. 1, 2.)

Jam Macedonicum bellum summa omnium virium contentione a Romanis geri coeptum est. Prima equitum congressio fuit, qua Perseus victor suspensam[3] omnium exspectationem in sui favorem traxit; misit tamen legatos ad consulem, qui pacem peterent, quam patri suo Romani etiam victo dedissent, impensas belli lege victi[4] suscepturus. Sed consul Sulpicius non minus graves, quam victo,[5] leges dixit. Dum haec aguntur, Romani Aemilium Paulum consulem creant, eique extra ordinem Macedonicum bellum decernunt; qui

quum ad exercitum venisset, non magnam moram pugnae fecit. Pridie, quam proelium[1] consereretur, luna nocte defecit; quod ostentum Perseo cladem finemque Macedonici regni portendere vaticinabantur. Quod vaticinium non fefellit. Perseus rex fuga cum decem millibus talentûm Samothraciam[2] defertur; quem Cnaeus Octavius ad persequendum missus a consule, cum duobus filiis, Alexandro et Philippo, cepit, captumque ad consulem duxit. Macedonia Romanorum ditioni addita. Aetolorum, nova semper bella in Graecia excitantium principes Romam missi, ibique, ne quid in patria novarent, diu detenti sunt. Tandem per multos annos legationibus civitatium senatu fatigata, in suam quisque patriam remissus est.

75. *Romani in Achaeos causas belli quaerunt.* (Justin. XXXIV. 1.)

Macedonibus subactis, Aetolorumque viribus debilitatis, soli adhuc ex universa Graecia Achaei nimis potentes tunc temporis Romanis videbantur, non propter singularum civitatium nimias opes, sed propter conspirationem[3] universarum. Namque Achaei, licet per civitates divisi, unum tamen imperium habent, singularumque urbium pericula mutuis viribus propulsant. Quaerentibus igitur Romanis causas belli, tempestive fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achaei propter mutuum odium populabantur. Spartanis a senatu responsum est, legatos se ad inspiciendas res sociorum in Graeciam missuros. Legatis clam mandatum est, ut corpus Achaeorum dissolverent. Hi itaque omnium civitatium principibus Corinthum evocatis, decretum senatus recitant, dicentes, expedire omnibus, ut singulae civitates sua jura et suas leges habeant. Quod ubi omnibus innotuit, velut in furorem versi universum peregrinum populum trucidant; legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi hi, audito tumultu, trepidi fugissent.

76. *Achaeis victis Corinthus diripitur.* (Justin. XXXIV. 2.)

Haec ubi Romae nuntiata sunt, statim senatus Mummio consuli bellum Achaicum decernit, qui, omnibus strenue provisis, pugnandi copiam hostibus fecit. Sed apud Achaeos omnia neglecta et soluta fuerunt. Itaque praedam, non proelium agitantes,[4] vehicula ad spolia hostium reportanda, secum duxerunt, et conjuges liberosque suos ad spectaculum certaminis in montibus posuerunt. Sed proelio commisso[5]

ante oculos suorum caesi sunt. Conjuges quoque et liberi eorum praeda hostium fuere. Urbs Corinthus diruitur: populus omnis sub corona venditur; ut hoc exemplo ceteris civitatibus metus novarum rerum[1] imponeretur.

77. *Attalo defuncto, Asia fit Romanorum.* (Justin. XXXVI. 4.)

Non ita multo post etiam Asia Romanorum facta est. Attalus[2] ibi florentissimum ab Eumene patruo acceptum regnum caedibus amicorum et cognatorum suppliciis foedabat. Post multa scelera squalidam vestem sumit, barbam capillumque in modum reorum summittit:[3] non in publicum prodire, non populo se ostendere, non domi laetiora convivia inire, prorsus ut poenas scelerum pendere videretur. Omissa deinde regni administratione, hortos fodiebat, gramina seminabat, et noxia innoxiis permiscebat, eaque omnia veneni succo infecta, velut peculiare munus, amicis mittebat. Postea aerariae artis fabricae se tradidit, cerisque fingendis et aere fundendo et procudendo oblectabatur. Matri deinde sepulcrum facere instituit: cui operi intentus, morbum ex solis fervore contraxit, et septima die decessit. Hujus testamento populus Romanus heres regni est institutus.

F. RES PARTHORUM.

1. *Parthorum origines.* (Justin. XLI. 1.)

Parthi,[4] penes quos nunc Orientis imperium est, Scytharum exsules fuere. Hoc etiam ipsorum nomine manifestatur; nam Scythico sermone *Parthi* exsules dicuntur. Hi et Assyriorum et Medorum temporibus inter Orientis populos obscurissimi fuerunt. Postea quoque quum imperium Orientis a Medis ad Persas translatum est, veluti vulgus sine nomine, praeda victorum fuere. Postremo Macedonibus servierunt. A Romanis autem, binis bellis,[5] per maximos duces, florentissimis temporibus, lacessiti, soli ex omnibus gentibus non pares solum,[6] verum etiam victores fuere.

2. *Parthorum mores.* (Justin. XLI. 2.)

Administratio gentis post defectionem Macedonici imperii sub regibus fuit. Proximus regibus populi ordo est: ex hoc

in Asia victo, cum praedonum manu Parthos ingressus, imperium gentis invasit. Non magno deinde post tempore Hyrcanorum quoque regnum occupavit, et Seleucum ad defectores persequendos venientem, proelio vicit. Quem diem Parthi exinde solemnem, velut initium libertatis, observant.

5. *Regnum firmat.* (Justin. XLI. 5.)

Revocato deinde Seleuco novis motibus in Asiam, Arsaces dato laxamento, regnum Parthicum format, militem legit, castella munit, civitates firmat. Urbem quoque nomine Daram, in monte Zapaortenon condit, cujus loci ea conditio est, ut neque munitius quidquam esse, neque amoenius possit. Nam praeruptis montibus ita cingitur, ut tutela loci nullis defensoribus egeat; et soli circumjacentis tanta ubertas est, ut propriis opibus expleatur. Sic Arsaces, quaesito simul constitutoque regno non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, matura senectute decedit. Cujus memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent. Hujus nepos, Arsaces et ipse nomine dictus, quindecim annis in regno actis decessit, relictis duobus filiis, Mithridate et Phrahate; quorum major Phrahates more gentis, heres regni, Mardos, validam gentem, bello domuit, nec multo post decessit, multis filiis relictis; quibus praeteritis,[1] fratri potissimum Mithridati, insignis virtutis viro, reliquit imperium, patriae potius quam liberis consulendum ratus.

6. *Mithridates regni fines profert.* (Justin. XLI. 6.)

Hic vir spem de se conceptam non fefellit. Bello inter Parthos et Medos orto, post varios utriusque populi casus, ad postremum victoria penes Parthos fuit. His viribus auctus Mithridates Mediae Bacasin praeponit, ipse in Hyrcaniam proficiscitur. Unde reversus bellum cum Elymaeorum[2] rege gessit, quo victo hanc quoque gentem regno adjecit, imperiumque Parthorum a monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, usque ad flumen Euphratem protulit. His actis adversa valetudine correptus, non minor Arsace proavo, gloriosa senectute decessit.

7. *Regum Parthicorum successio.* (Just. XLII. 1, 2, 3.)

Huic Phrahates filius successit. Qui cum Scythis bellum gerens a Graecis militibus, quibus in bello captis et crudeliter tractatis, imprudentius, ut suis, utebatur, in pugna relictus at-

que occisus est. In hujus locum Artabanus, patruus ejus, rex substituitur; qui bello Thogariis[1] illato, in brachio vulneratus, statim decedit. Huic Mithridates filius succedit, cui res gestae Magni cognomen dedere: quippe claritatem parentum animi magnitudine supergreditur. Multa bella cum finitimis magna virtute gessit, multosque populos Parthico regno addidit. Etiam cum Scythis prospere aliquoties dimicavit. Ad postremum Ortoadisti, Armeniorum regi, bellum intulit; quo debellato propter crudelitatem a Senatu Parthico regno pellitur.

8. *Romanorum legiones a Parthis trucidantur.* (Justin. XLII. 4.)

Vacans regnum occupavit Orōdes, Mithridatis frater. Qui quum Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obsideret, oppidanos fame coactos in deditionem compulit. Mithridates quoque, fiducia cognationis, ultro se in protestatem Orodis tradit. Sed Orodes plus hostem, quam fratrem, cogitans, in conspectu suo eum trucidari jussit. Post haec bellum cum Romanis gessit, Crassumque imperatorem cum filio et omni exercitu Romano delevit. Hujus filius Pacorus, missus ad persequendas Romani belli reliquias, magnis rebus in Syria gestis, patri suspectus in Parthiam revocatur; quo absente, exercitus Parthorum relictus in Syria a Cassio, quaestore Crassi, cum omnibus ducibus trucidatur.

9. *Romani Parthos magno proelio vincunt.* (Justin. XLII. 4.)

His ita gestis non multo post tempore, apud Romanos inter Caesarem et Pompejum civile bellum exarsit, in quo Parthi Pompejanarum partium fuere. Victis partibus Pompejanis, et Cassio et Bruto auxilia adversus Augustum et Antonium misere, et post belli finem rursum, Pacoro duce, Syriam et Asiam vastavere, castraque Ventidii, qui absente Pacoro exercitum Parthicum fuderat, magna mole aggrediuntur. Sed ille simulato timore, diu continuit se, et insultare[2] Parthos aliquantisper passus est. Ad postremum in securos laetosque partem legionum emisit, quarum impetu fusi Parthi in diversa abiere. Pacorus quum fugientes suos abduxisse secum legiones Romanas putaret, castra Ventidii, velut defensoribus privata, aggreditur. Tum Ventidius, reliqua parte legionum emissa, universam Parthorum manum cum rege ipso Pacoro interfecit. Nullo bello Parthi unquam majus vulnus acceperunt.

in Asia victo, cum praedonum manu Parthos ingressus, imperium gentis invasit. Non magno deinde post tempore Hyrcanorum quoque regnum occupavit, et Seleucum ad defectores persequendos venientem, proelio vicit. Quem diem Parthi exinde solemnem, velut initium libertatis, observant.

5. *Regnum firmat.* (Justin. XLI. 5.)

Revocato deinde Seleuco novis motibus in Asiam, Arsaces dato laxamento, regnum Parthicum format, militem legit, castella munit, civitates firmat. Urbem quoque nomine Daram, in monte Zapaortenon condit, cujus loci ea conditio est, ut neque munitius quidquam esse, neque amoenius possit. Nam praeruptis montibus ita cingitur, ut tutela loci nullis defensoribus egeat; et soli circumjacentis tanta ubertas est, ut propriis opibus expleatur. Sic Arsaces, quaesito simul constitutoque regno non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, matura senectute decedit. Cujus memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent. Hujus nepos, Arsaces et ipse nomine dictus, quindecim annis in regno actis decessit, relictis duobus filiis, Mithridate et Phrahate; quorum major Phrahates more gentis, heres regni, Mardos, validam gentem, bello domuit, nec multo post decessit, multis filiis relictis; quibus praeteritis,[1] fratri potissimum Mithridati, insignis virtutis viro, reliquit imperium, patriae potius quam liberis consulendum ratus.

6. *Mithridates regni fines profert.* (Justin. XLI. 6.)

Hic vir spem de se conceptam non fefellit. Bello inter Parthos et Medos orto, post varios utriusque populi casus, ad postremum victoria penes Parthos fuit. His viribus auctus Mithridates Mediae Bacasin praeponit, ipse in Hyrcaniam proficiscitur. Unde reversus bellum cum Elymaeorum[2] rege gessit, quo victo hanc quoque gentem regno adjecit, imperiumque Parthorum a monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, usque ad flumen Euphratem protulit. His actis adversa valetudine correptus, non minor Arsace proavo, gloriosa senectute decessit.

7. *Regum Parthicorum successio.* (Just. XLII. 1, 2, 3.)

Huic Phrahates filius successit. Qui cum Scythis bellum gerens a Graecis militibus, quibus in bello captis et crudeliter tractatis, imprudentius, ut suis, utebatur, in pugna relictus at-

10. *Orodis, regis Parthorum, de morte filii luctus.* (Justin. l. c.)

Haec quum in Parthia nuntiata essent, Orodes, pater Pacori, qui paullo ante vastatam Syriam, Asiam a Parthis occupatam esse audiverat, victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filii morte et exercitus clade audita, ex dolore in furorem vertitur.[1] Multis diebus non alloqui quemquam, non cibum sumere, non vocem mittere, ita ut etiam mutus factus videretur. Post multos deinde dies, ubi dolor vocēm laxaverat,[2] nihil aliud quam Pacorum vocabat, illum videre, illum audire se putabat. Post longum deinde luctum alia sollicitudo miserandum senem invadit, quem ex numero triginta filiorum in locum Pacori regem destinet. Multae pellices, ex quibus generata tanta juventus erat, pro suis quaeque sollicitae, animum senis obsidebant. Sed fatum Parthiae fecit, ut sceleratissimus omnium, et ipse Phrahates nomine, rex statueretur.

11. *Phrahatis saevitia et exilium.* (Just. XLII. 5.)

Hic itaque, beneficium parricidio rependens, patrem interfecit; fratres quoque ad unum omnes trucidat. Jam quum infestos sibi optimates propter assidua scelera videret, ne esset, qui in suum locum nominari rex posset, adultum filium interfici jubet. Huic Antonius bellum cum sedecim validissimis legionibus intulit, sed graviter multis proeliis vexatus, a Parthia refugit. Qua victoria insolentior Phrahates redditus, quum in dies magis saeviret, in exilium a populo pellitur. Exilii impatiens, quum diu finitimas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maxime auxilio in regnum restituitur. Eo absente regem Parthi Tiridāten quemdam constituerant; qui, audito adventu Scytharum, cum magna amicorum manu ad Caesarem,[3] in Hispania bellum tunc temporis gerentem, profugit, obsidem Caesari minimum filium Phrahatis ferens, quem negligentius custoditum rapuerat.

12. *Augustus Phrahatem terret.* (Justin. l. c.)

Quo cognito, Phrahates statim ad Caesarem legatos mittit, servum suum Tiridaten et filium remitti sibi postulat. Qua legatione audita, Caesar, neque Tiridaten dediturum se Parthis, dixit, neque adversus Parthos Tiridati auxilia daturum. Simul Phrahati filium sine pretio remisit, et Tiridati, quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumtum praeberi

jussit. Post haec finito Hispaniensi bello, quum in Syriam ad componendum Orientis statum venisset, metum Phrahati incussit. Quare hic ut bellum a Parthiae finibus averteret, omnes captivos ex Crassi et Antonii legionibus colligi jussit, eosque simul cum signis militaribus[1] Augusto remisit. Sed et filii nepotesque Phrahatis obsides Augusto dati, plusque Caesar magnitudine sui nominis fecit, quam armis alius imperator facere potuisset.

G. RES SICILIAE.

1. *Siciliae origines.* (Justin. IV. 2.)

Siciliae primo Trinacriae[2] nomen fuit: postea Sicania[3] cognominata est. Haec a principio patria Cyclōpum fuit, quibus exstinctis Cocalus regnum insulae occupavit; post quem singulae civitates in tyrannorum imperium concesserunt, quorum nulla terra feracior fuit. Horum ex numero Anaxilāus ustitia cum caeterorum crudelitate certabat; cujus moderationis haud mediocrem fructum tulit. Quippe decedens quum filios parvulos reliquisset, tutelamque eorum Micȳtho, spectatae fidei servo, commisisset, tantus amor memoriae ejus apud omnes fuit, ut parere servo, quam carere regis filiis mallent, principesque civitatis, obliti dignitatis suae, regni majestatem administrari per servum paterentur.

2. *Carthaginienses in Sicilia.* (Justin. IV. 2.) *Dionysius major.* (Ibid. XX. 1. 5.)

Imperium Siciliae etiam Carthaginienses tentavere; diuque varia fortuna cum tyrannis dimicatum. Ad postremum amisso Hamilcare imperatore cum exercitu, aliquantisper quievere victi. Insequenti tempore Dionysius, Carthaginiensibus victis, totius insulae imperium occupavit. Tum, desidiam exercitus sui timens, copias in Italiam trajecit. Prima illi militia adversus Graecos fuit, qui proxima Italici maris litora tenebant; quibus devictis, finitimos quosque aggreditur, omnesque Graeci nominis,[4] Italiam possidentes, hostes sibi destinat; quae gentes non partem, sed universam ferme Italiam ea tempestate occupaverant. Expugnatis Locris,

Crotonienses aggreditur, qui cum parvis copiis fortiter restiterunt. Hoc bello occupatum Dionysium legati Gallorum, qui paucos ante menses Romam incenderant,[1] societatem amicitiamque petentes adeunt. Grata legatio Dionysio fuit. Ita pacta societate, et auxiliis Gallorum auctus, bellum velut ex integro restaurat. Sed eum in Siciliam adventus Carthaginiensium revocavit, qui, reparato exercitu, bellum auctis viribus repetebant. Nec multo post Dionysius, assiduis bellis victus fractusque, ad postremum suorum insidiis interficitur.

3. *Dionysius minor patri succedit.* (Just. XXI. 1.)

Eo exstincto milites maximum natu ex filiis ejus, nomine Dionysium, in ejus locum suffecere. Qui, ut popularium animos inter initia regni sibi conciliaret, nexorum[2] tria millia e carcere dimittit; tributa populo intra triennium remittit, et, quibuscunque delinimentis potest, animos omnium sollicitat.[3] Tunc fratrum suorum avunculos, veluti aemulos imperii sui, hortatoresque puerorum ad divisionem regni, sustulit, ipsosque paullo post fratres interficit.

4. *Regno pellitur.* (Just. XXI. 2.)

Sublatis aemulis in segnitiem lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria, oculorumque valetudinem contraxit, adeo ut non solem, non pulverem, non denique splendorem ferre lucis posset. Propter quae dum contemni se putat, saevitia grassatur, civitatemque caedibus implet. Quae saevitia quum eum omnibus invisum reddidisset, et bellum denique Syracusani adversus eum decrevissent, diu dubitavit,[4] imperium deponeret an bello resisteret. Sed a militibus, praedam ex urbis direptione sperantibus, descendere in proelium cogitur. Plus semel victus, legatos ad Syracusanos mittit, spondens, se depositurum tyrannidem, si mitterent ad eum, quibuscum sibi de pace conveniret. In quam rem missos primores in carcere retinet,[5] atque ita, incautis omnibus nec quidquam hostile metuentibus, exercitum ad delendam civitatem mittit. Fit igitur in ipsa urbe anceps proelium; in quo, oppidanis multitudine superantibus, Dionysius pellitur, qui quum obsidionem arcis timeret, cum omni regio apparatu in Italiam profugit tacitus.

8. *Tyrannidem Agathocles occupat.* (Just. XXII. 2.)

Quum apud Murgantinos[1] exularet, ab his odio Syracusanorum primo praetor, mox dux belli creatur. In eo bello et urbem Leontinorum[2] capit, et patriam suam Syracusas obsidere coepit. Sed quum videret, fortius defendi urbem, quam oppugnari, precibus per internuntios Hamilcarem exorat, ut inter se et Syracusanos pacis arbitrium suscipiat. Quo intercedente non pax tantum Agathocli conciliatur, verum etiam praetor Syracusis constituitur. Quo facto, acceptis ab Hamilcare quinque millibus Afrorum, potentissimos quosque ex principibus interficit, senatum trucidat, et ex plebe quoque locupletissimos et promtissimos tollit.

9. *Agathoclis bella cum Poenis.* (Just. XXII. 3—6.)

His ita gestis militem legit exercitumque conscribit; quo instructus finitimas civitates, nihil hostile metuentes, ex improviso aggreditur. Deinde quum adversus Poenos arma movisset, Poenique victores Syracusas obsidione cinxissent, mira prorsus audacia bellum in Africam transferre statuit. Itaque oppidanis ad obsidionis necessitatem frumento instructis, comitibus duobus adultis filiis, Archagatho et Heraclida, cursum in Africam direxit. Quo quum venisset, universas naves, consentiente exercitu, incendi jubet, ut omnes scirent, auxilio fugae ademto,[3] aut vincendum aut moriendum esse. Deinde quum omnia, quacunque ingrederentur, prosternerent, villas castellaque incenderent, obvius ei fuit cum triginta millibus Poenorum Hanno; sed, proelio commisso, duo[4] de Siculis, tria millia de Poenis cum ipso duce cecidere. Hac victoria et Siculorum animi eriguntur et Poenorum franguntur. Castra deinde in quinto lapide a Carthagine statuit, ut vastitatem agrorum et incendia villarum de muris ipsius urbis specularentur.[5]

10. *Agathocles Poenos e Sicilia pellit.* (Justin. XXII. 7, 8.)

His Poenorum malis etiam deletus in Sicilia cum imperatore exercitus accessit. Nam post profectionem Agathoclis Poeni in obsidione urbis segniores redditi, ab Antandro, fratre Agathoclis, occidione caesi nuntiabantur.[6] Itaque quum domi forisque eadem fortuna Carthaginiensium esset, non tributariae tantum ab his urbes, sed etiam socii reges deficiebant. Quorum copiis auctus,[7] Carthaginienses gravi proe-

lio superat. Quo facto, tradito exercitu filio Archagatho, in Siciliam rediit, nihil actum existimans, si amplius Syracusae obsiderentur. Nam post occisum Hamilcarem, Gisgonis filium, novus eo a Poenis missus exercitus fuerat. Statim igitur primo adventu ejus Siciliae urbes, auditis rebus, quas in Africa gesserat, certatim se ei tradunt, atque ita pulsis e Sicilia Poenis, totius insulae imperium occupavit. In Africam deinde reversus, seditione militum excipitur. Nam stipendiorum solutio in adventum patris dilata a filio fuerat. Igitur ad concionem vocatos blandis verbis permulsit: stipendia illis dicens ab hoste quaerenda esse: communem victoriam communem praedam futuram. Sedato itaque militari tumultu, ad castra hostium exercitum ducit; ibi inconsultius proelium committendo, majorem partem exercitus perdidit. Quum itaque in castra fugisset, militesque ob stipendium non solutum metueret, concubia nocte solus cum Archagatho filio profugit. Archagathus tamen, qui a patre noctis errore[1] discesserat, a militibus comprehensus reducitur. Tum pactione cum hostibus facta, milites, interfectis Archagathi liberis, Carthaginiensibus se tradidere; Archagathus ipse ab Arcesilão, amico antea patris, occisus est. Post haec Poeni ad persequendas belli reliquias duces in Siciliam miserunt, cum quibus Agathocles pacem aequis conditionibus fecit.

11. *Agathocles moritur.* (Justin. XXIII. 2.)

Brevi post tempore, Agathocles, quum spe ampliandi[2] regni in Italiam trajecisset, gravi morbo correptus est. Quum jam nulla spes esset, eum hoc malo liberari posse, bellum inter filium ejus nepotemque oritur, regnum jam quasi mortui vindicantes, occisoque filio, regnum nepos occupavit. Inter haec domestica mala rex moritur. Carthaginienses autem, cognitis quae in Sicilia agebantur, occasionem totius insulae occupandae datam sibi existimantes, magnis viribus[3] eo trajiciunt, multasque civitates subigunt.

12. *Pyrrhus Siciliam occupat et amittit.* (Justin. XXIII. 3.)

Eo tempore Pyrrhus, rex Epiri, adversus Romanos bellum gerebat:[4] qui imploratus a Siculis in auxilium, quum Syracusas venisset, multasque civitates subegisset, rex Siciliae appellatur. Post haec multa secunda proelia cum Carthaginiensibus facit. Interjecto deinde tempore, quum legati ab Italicis sociis venissent, nuntiantes, Romanis resisti non posse,

deditionemque futuram, nisi subveniat victorem exercitum in Italiam trajecit. Quo facto socii in Sicilia ab eo defecerunt, et imperium Siciliae tam cito amisit, quam facile quaesierat. Sed nec in Italia meliore felicitate usus in Epirum revertitur.

13. *Hiero, Hieroclis filius, imperium Siciliae adipiscitur.* (Justin. XXIII. 4.)

Post profectionem a Sicilia Pyrrhi, magistratus Hiero[1] creatur, cujus tanta moderatio fuit, ut, consentiente omnium civitatum favore, dux adversus Carthaginienses primum, mox rex, crearetur. Hujus futurae magnitudinis multa fuerunt omina. Quippe genitus patre Hierocle, nobili viro, a patre, quod ex ancilla natus esset, expositus erat. Sed parvulum apes multis diebus aluerunt. Ob quam rem responso aruspicum admonitus pater, qui regnum infanti portendi canebant, puerum recepit, omnique studio ad spem majestatis, quae promittebatur,[2] instituit. Eidem, in ludo inter aequales discenti, lupus, in turba puerorum repente conspectus, tabulum eripuit. Adolescenti quoque, prima bella ineunti, aquila in clypeo, noctua in hasta consedit. Denique adversus provocatores saepe pugnavit, semperque victoriam reportavit. A Pyrrho rege multis militaribus donis donatus est. Pulcritudo ei corporis insignis, vires quoque in homine admirabiles fuere; in alloquio blandus, in negotio justus, in imperio moderatus, prorsus ut nihil ei regium deesse, praeter regnum, videretur.

H. DE HISPANIA QUAEDAM.

1. *Hispaniae descripto.* (Justin. XLIV. 1.)

Hispaniam veteres ab Ibēro amne primum Iberiam, postea ab Hispano[3] Hispaniam cognominaverunt. Haec, inter Africam et Galliam posita, Oceani freto et montibus Pyrenaeis clauditur. Sicut minor utrâque terrâ, ita utrâque fertilior. Nam neque, ut Africa, violento sole torretur, neque, ut Gallia, assiduis ventis fatigatur, sed media inter utramque in omnia frugum genera fecunda est, adeo ut non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiae urbique Romanae cunctarum rerum abundantiam suppeditet. Hinc enim magna copia est frumenti,

4. *Carthaginiensium in Hispania imperium.* (Justin. XLIV. 5.)

Mature Carthaginienses imperium Hispaniae occupavere. Nam quum Gaditani[1] a Tyro, unde et Carthaginiensibus origo est, sacra Herculis in Hispaniam transtulissent, urbemque ibi condidissent, finitimi incrementis novae urbis invidentes, Gaditanos bello lacessiverunt. Consanguineis Carthaginienses auxilium miserunt. Ibi felici expeditione et Gaditanos ab injuria vindicaverunt, et majorem partem Hispaniae imperio suo adjecerunt. Postea quoque, hortante primae expeditionis successu, Hamilcarem imperatorem cum magna manu ad occupandam provinciam misere, qui, magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus occiditur. In hujus locum gener ipsius Hasdrubal mittitur; qui et ipse a servo Hispani cujusdam, ulciscente domini injustam necem, interfectus est. Major utroque Hannibal, Hamilcaris filius, successit. Hic universam Hispaniam domuit; inde bello Romanis illato, Italiam per annos sexdecim variis cladibus fatigavit; quum interea Romani, missis in Hispaniam Scipionibus, primo Poenos provincia expulerunt, postea cum ipsis Hispanis gravia bella gesserunt. Nec prius Hispani jugum potuerunt accipere, quam Caesar Augustus, perdomito orbe terrarum, victricia ad eos arma transtulit, populumque barbarum et ferum, legibus ad cultioris vitae usum traductum, in formam provinciae redegit.

I. RES MASSILIENSIUM.

1. *Phocaeenses Massiliam condunt.* (Just. XLIII. 3.)

Temporibus Tarquinii Superbi, Romanorum regis, ex Asia Phocaeensium juventus, patria profuga, Massiliam inter Ligures[2] et feras gentes Gallorum condidit, et, dum se armis adversus Gallicam feritatem tuentur, magnas res gesserunt. Duces classis Simos et Protis fuerunt. Hi regem Segobrigiorum, Nannum nomine, in cujus finibus urbem condere gestiebant, conveniunt. Forte eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiae erat; quam more gentis, electo inter epulas genero, nuptum tradere illic[3] parabat. Itaque

quum ad nuptias invitati omnes proci essent, rogantur etiam Graeci hospites ad convivium. Introducta deinde virgo quum juberetur a patre aquam porrigere ei, quem virum eligeret, tunc, omissis omnibus, ad Graecos conversa, aquam Proti porrigit; qui factus ex hospite gener, locum condendae urbis a socero accepit. Condita igitur est Massilia prope ostia Rhodani amnis, in remoto sinu, velut in angulo maris. Sed Ligures, incrementis urbis invidentes, Graecos assiduis bellis fatigabant.[1] Qui pericula propulsando in tantum[2] enituerunt, ut, victis hostibus, in captivis agris multas colonias constituerent.

2. *Massiliensibus a finitimis struuntur insidiae.* (Justin. XLIII. 4.)

Ab his igitur Galli et usum vitae cultioris et agrorum cultus, et urbes moenibus cingere didicerunt. Tunc et legibus, non armis vivere, tunc et vitem putare, tunc olivam serere consueverunt. Mortuo rege Nanno Segobrigiorum, a quo locus condendae urbis acceptus fuerat, quum regno filius ejus Comanus successisset, affirmat Ligur quidam, *Massiliam, quandoque*[3] *finitimis populis exitio futuram, in ipso ortu opprimendam esse.* Subnectit et fabulam: *canem gravidam aliquando a pastore locum petisse precario, in quo pareret; quem quum obtinuisset, iterato petisse, ut sibi educare eodem in loco catulos liceret; ad postremum, adultis catulis, pastorem illam, domestico praesidio fortem,*[4] *depellere non potuisse.* His incitatus rex insidias Massiliensibus struit. Itaque solemni Floraliorum[5] die multos fortes et strenuos viros hospitii jure in urbem misit; plures etiam frondibus tectos vehiculis induci jussit. Ipse cum exercitu in proximis montibus delitescit, ut, quum nocte portae apertae forent,[6] tempestive adesset, urbemque somno ac vino sepultam[7] armis invaderet. Sed has insidias mulier quaedam, regis cognata, prodidit, quae Graecum adolescentem, cujus amore tenebatur, miserata formae et fortunae ejus, periculum declinare jussit. Ille rem statim ad magistratus defert; atque ita patefactis insidiis, cuncti Ligures comprehenduntur. Quibus interfectis, insidianti regi insidiae tenduntur. Caesa sunt cum ipso rege hostium septem millia. Exinde Massilienses festis diebus portas claudere, vigilias agere, peregrinos recognoscere,[8] ac veluti bellum habeant, urbem custodire.

3. *Massiliensium bella.* (Justin. XLIII. 5.)

Post haec magna illis cum Liguribus, magna cum Gallis fuere bella; quae res urbis gloriam auxit Graecorumque virtutem celebrem inter finitimos reddidit. Carthaginiensium quoque exercitus, quum bellum, captis piscatorum navibus, ortum esset, saepe fuderunt, pacemque victis dederunt; cum Hispanis amicitiam junxerunt; cum Romanis prope ab initio conditae urbis foedus summa fide custodierunt, auxiliisque in omnibus bellis industrie socios juverunt. Quae res illis et virium fiduciam auxit, et pacem ab hostibus praestitit.

4. *Finitimis impetum in eos facientibus, deorum cura servantur.* (Ibid.)

Quum igitur Massilia fama rerum gestarum, et abundantia opum, et virium gloria floreret, repente finitimi populi ad nomen Massiliensium[1] delendum, veluti ad commune exstinguendum incendium, concurrunt. Dux consensu omnium Catumandus regulus eligitur, qui, quum magno exercitu[1] lectissimorum virorum urbem hostium obsideret, per quietem specie torvae mulieris, quae se deam dicebat, exterritus, ultro pacem cum Massiliensibus fecit; petitoque,[2] ut intrare illi in urbem et deos eorum adorare liceret, quum in arcem Minervae venisset, conspecto simulacro deae, quam per quietem viderat, repente exclamat, illam esse, quae se nocte exterruisset; illam, quae recedere ab obsidione jussisset, gratulatusque Massiliensibus, quod animadverteret, eos ad curam deorum immortalium pertinere,[3] torque aureo donatâ deâ, in perpetuum amicitiam cum Massiliensibus junxit. Parta pace et securitate fundata legati Massiliensium, revertentes a Delphis, quo missi munera Apollini tulerant, audierunt urbem Romanam a Gallis captam incensamque.[4] Quam rem domi nuntiatam publico funere[5] Massilienses prosecuti sunt; aurumque et argentum publicum privatumque contulerunt, ad explendum pondus Gallis, a quibus redemtam pacem cognoverant. Ob quod meritum et immunitas illis decreta et locus spectaculorum in senatu datus et foedus aequo jure percussum est.

tius ad ea, quae e re sua essent, animos adverterent, senatori cuidam nobiliori, cujus nutu et auctoritate regerentur eorum studia, commendari solebant. Cicero igitur, toga virili sumta, a patre deductus est ad Q. Mucium Scaevolam augurem, tam rerum publicarum et civilium scientia, quam ingenio et doctrina, longe praestantissimum. Quem quidem quum Cicero, quod adolescentes honoris causa solebant facere, deduceret in forum, reduceretque, nec unquam ab ejus latere discederet; non solum consilia, quae rogatus ille dabat, cupide arripiebat et animo recondebat, sed etiam vel commode, vel acute, vel prudenter ab eo dicta et disputata diligenter memoriae mandabat. Hinc factum est, ut brevi tempore et legum, et omnium, quae a bono causarum patrono exiguntur, cognitionem sibi pararet accuratissimam. Sed quum nulla re magis ad summos in republica honores viam muniri posse intelligeret, quam arte dicendi et eloquentia, toto animo in ejus studium incubuit; in quo quidem ita versatus est, ut non solum eos, qui in foro et judiciis causas perorarent, studiose sectaretur, sed privatim quoque, tam graecas orationes in latinam linguam vertendo, quam, quae ipse commentatus esset, declamando, diligentissime se exerceret. At ne in hoc quidem exercitationis genere acquievit. Nam eodem tempore non solum carmina, quibus Scaevolam et Atticum mirifice delectatos esse legimus, conscripsit, sed etiam philosophiae, Phaedro Epicureo inprimis duce, operam dedit.

3. *Cicero miles.*

Postquam juvenes Romani assidua in rebus forensibus exercitatione, et vario officiorum genere, senatus populique favorem atque gratiam sibi collegerant, tum, ut foris pariter ac domi de republica bene merere discerent, togam cum sago mutare, sive castra sequi, et virtutis bellicae documenta edere, debebant. Itaque Cicero, ut faceret et tentaret omnia, quibus in republica ad summos honores enitendum erat, militaris quoque artis scientiam sibi parare constituit. Nec deerat ei ad hanc rem occasio. Saeviente enim tum bello Sociali sive Marsico, quum consul Pompejus Strabo, Pompeji Magni pater, exercitum duceret contra hostiles copias, facile ab eo, ut in ejus comitatu sibi esse liceret, impetravit. In quo quidem bello, quamvis ad pacis magis, quam ad belli artes, natus esse videbatur Cicero, tamen nulli strenui militis defuit officio, et omnino ita se gessit, ut bellicae quoque virtutis laudem inde referret.

4. *Cicero post militiam in urbem reversus.*

Quum rerum publicarum status graviter tum concuteretur Sullae et Marii certaminibus, Cicero, ab omni partium studio alienus, oratoribus, qui tum excellebant, vacabat, vel ipse cogitata mentis litteris mandabat. Sed multum ille in hac re discrepabat a nostrae aetatis hominum ingenio. Non enim protrusit et evulgavit statim, quae juvenis litteris consignaverat, sed ad maturiorem aetatem reposuit, et, quae minus tum probarentur ejus judicio, aut emendavit, aut plane delevit. Ad oratores autem, quorum exemplo et disciplina adjuta tum imprimis sunt Ciceronis studia, pertinent Philo Academicus et Molo Rhodius, Mithridatis furore atque violentia cum multis aliis e Graecia exacti. His quidem et Diodoto Stoico (quem recepit adeo in domum suam) eo impensius dedit operam, quo major ei inter Romanos oratores eminendi fuit cupiditas. Accenderat inprimis Ciceronis studia exemplum Hortensii, omnium oratorum, qui tum Romae florebant, eloquentissimi. Hunc igitur tanto animi ardore aemulatus est, ut brevi tempore non aequaret tantum ejus laudem, sed etiam superaret.

5. *Cicero in causa publica primum orator prodit.*

Cicero, viginti et sex annos natus, postquam in privatis causis jam pluribus operam suam commodaverat, nunc in publica causa eloquentiae suae copias expromendi occasionem nactus est. Nam quum Roscium quendam ex Ameria, parricidii accusatum, ob Chrysogoni, qui in ejus adversariis fuit, potentiam nemo defendere auderet; tanta eloquentiae vi et animi libertate eum defendit Cicero, ut jam tum in arte dicendi nullus ei par esse videretur. Ipse Cicero saepius magna cum animi voluptate hujus orationis et partae sibi per eam laudis meminit, quamvis idem, se nimium passim in hac oratione juvenili fervori indulsisse et fines, intra quos contineri debuisset, transiluisse, in maturiore aetate constitutus haud dissimulat.

6. *Cicero peregrinatur.*

Anno post ad corporis male affecti valetudinem reficiendam Cicero in Asiam profectus est. Quum primum Athenas venisset, adeo hujus urbis commodis et opportunitatibus captus est, ut per sex menses ibi commoraretur. Nihil autem

opportunius et jucundius in hac celebratissima Musarum sede obtingere potuit Ciceroni nostro, quam quod ei cum Antiocho, philosopho Academico, non versari tantum, sed etiam apud eum habitare liceret. Sic enim nactus fuerat non solum amicum, quocum familiariter viveret, sed etiam magistrum, ad cujus praecepta philosophiae studia moderari posset. Ad vitae jucunditatem, qua Cicero Athenis fruebatur, multum conferebat Pomponii Attici, veteris amici et aequalis, quem ibi convenerat, consuetudo; quae quidem ita tum aucta et confirmata est, ut per totam reliquam vitam alter alteri exsisteret amicissimus. Eodem tempore apud Demetrium Syrum, veterem et haud ignobilem dicendi magistrum, studiose Noster in arte rhetorica se exercuit.

7. *Cicero Asiam peragrat.*

Athenis relictis Cicero iter flexit in Asiam, ibique cum principibus oratoribus, ad quos se applicaverat, Menippo Stratonicensi, Dionysio Magnete, Aeschylo Cnidio, Xenocle Adramytteo et aliis versatus est et nobilissimas Asiae urbes peragravit. Delatus denique est Rhodum, ubi, quem jam Romae audiverat, Moloni denuo operam dedit. Insignes, quos Cicero in arte dicendi interea fecerat, progressus mirabatur quidem Molo, sed idem vitia, quae vitanda essent oratori bono et gravi, libere ei indicavit. Nam quum res, quas Noster in orationibus describendas sibi sumserat, nimia verborum copia exaggeraret, et sententiarum lumina ingenii ostentandi causa nimis coacervaret; humaniter eum monuit Molo, ut hunc juvenilem impetum reprimere, et, quae redundarent, quasi extra ripas diffluentia, coercere studeret. Cujus quidem praecepti veritatem se bene jam tum percepisse, ipse grato animo profitetur.—Posidonium quoque, philosophum, qui Rhodi erat, diligenter audivit, eumque in philosophiae studio ducem adhibuit.

8. *Cicero ex peregrinatione redux in urbem factus.*

Biennio post quum Cicero Romam se recepisset, ibi, sicut ante peregrinationem, in foro versari atque causas perorare coepit. Ad eos, quorum causas tum Ciceronem defendisse constat, pertinet Roscius Comoedus, vir tam arte histrionica, quam ingenio et aliarum virtutum laude florentissimus. Quo crebrior autem causarum dicendarum oblata fuit Ciceroni occasio, eo luculentius exsplendescere coepit ejus fama atqu

11. *Cicero e Sicilia Romam reversus.*

Cicero, Quaestoris munere insigni laude perfunctus, e Sicilia rediit Romam, gravissimis tum bellis pressam et distentam. Ibi per quinque annos in causis dicendis ita excelluit, ut inter omnes causarum patronos et esset et haberetur princeps. Jam vero quum ad eam aetatem pervenisset, (triginta et septem annos tum natus erat,) quae praestituta fuit aedilitatem vel praeturam petituris, nomen suum inter candidatos aedilitatis professus est eo successu, ut, praelatus caeteris candidatus omnibus, uno ore omnium Aedilis Curulis crearetur.

12. *Cicero Verrem accusat.*

Priusquam aedilitatem adibat Cicero, opportuna, qua summi oratoris artem ostenderet, oblata ei est occasio Verris accusatione. Homo iste, qui primum Quaestor, tum Praetor per tres deinceps annos in Sicilia fuerat, tanta avaritia et impudentia non privata tantum, sed etiam publica bona, diripuerat, ut Siculi, inaudita impudentia ab isto spoliati et expilati, diem ei Romae dicere constituerent. Quo magis autem illi jam olim non solum summum Ciceronis in causis dicendis ingenium et eloquentiam, sed etiam insignem ejus animi integritatem, humanitatem et benevolentiam perspexerant, eo vehementius nunc eum rogabant, ut accusationem contra Verrem susciperet. Nec defuit ille eorum precibus. Imo nefandam, qua in Siculorum bona grassatus fuerat Verres, avaritiam tanta orationis gravitate et animi libertate in judicio perstrinxit et ante omnium oculos posuit, ut iste, argumentorum vi convictus, sponte in exilium, ubi reliquam vitae partem transegit, abiret.

13. *Cicero Aedilis Praetor.*

Cicero, aedilitatem ingressus, solemnem illum morem, quo munera, sive ludos populo edere solebant novi Aediles, haud neglexit quidem, sed in eorum sumtibus faciendis sapienter modum tenuit, honestiorem rationem, qua populi gratiam et amorem sibi conciliaret, secutus. Nam, quum populus tum premeretur annonae caritate, splendidissima a Siculis sibi oblata munera impendebat eo, ut viliore annona veniret pretio. Quo quidem honesto liberalique studio populi in Ciceronem favor adeo auctus est, ut, quum post aedilitatem Prae-

toris munus peteret, inter octo Praetores, qui creabantur, rae multis aliis competitoribus totius populi suffragiis primus crearetur. Nec vana fuit populi de Ciceronis praetura exspectatio. Nam sicut summam diligentiam, humanitatem, prudentiam et honestatem in quaesturae aedilitatisque obeundis officiis probaverat, ita in Praetoris munere gerendo summae justitiae, aequitatis, sanctitatis et temperantiae laude excelluit. Dum Praetor erat Cicero, cum alias orationes habuit, tum inprimis orationem pro Lege Manilia. Nam quum Manilius, tribunus plebis, legem rogasset, qua Pompejo summum belli Mithridatici imperium decerneretur; Cicero in oratione illa Pompeji virtutes, summo duci proprias, tanta ubertate, gravitate atque elegantia descripsit et exposuit, ut, faciendum omnino esse, quod in lege Manilia suaderetur, omnes ac singuli judicarent.

14. *Cicero post Praeturam.*

Praetura perfunctis provincia, quam Propraetores administrarent, decerni solebat. Sed Cicero, neque divitiarum in provincia parandarum, neque rerum foris gerendarum admodum cupidus, detrectata provincia, Romae manere, et ibi rerum civilium scientiae et earum artium, quibus viam ad consulatum sibi aperiret, operam navare maluit. Itaque per duos post praeturam annos, (tantum enim temporis a praetura usque ad consulatus petitionem intercedere debebat,) quolibet officiorum genere populi favorem colligere, et hujus collecti favoris aura vela quasi sua ita implere studuit, ut fieri non posset, quin metam, h. e. consulatum, secundo cursu attingeret.

15. *Cicero Consul.*

Cicero igitur, tanto studio tantaque virtutum laude ad summos honores grassatus, aetatis anno quadragesimo tertio, quo secundum leges consulatum peti licebat, non tabellis, quibus alias suffragia in comitiis Consularibus dari solebant, sed voce universi populi Romani honorificentissime Consul creatus, et sex aliis competitoribus, in quibus L. Sergius Catilina fuit, praelatus est. Consulatum gerere incipienti negotium facessebat P. Rullus, tribunus plebis, homo seditiosus, qui, dum legis agrariae rogationem, veterem istam gravissimarum discordiarum causam, agitabat, non parum reipublicae infestus fieri coepit. Sed Cicero perniciosos Rulli conatus tribus orationibus agrariis tanta sententiarum vi et gravitate repressit at-

que retudit, ut ipse populus legi tam populari, pauperiorum magis, quam universae reipublicae commodis respondenti fortiter resisteret.

16. *Cicero detecta et compressa Catilinae conjuratione servat rempublicam.*

L. Sergius Catilina, quem inter consulatus competitores fuisse modo commemoravimus, quum spe consulatus consequendi se dejectum videret, obnixe faciebat omnia, ut proximis certe comitiis obtineret, quod frustra adhuc petierat. Sed Cicero, quum praeciperet animo, quantum malorum ab immensa Catilinae libidine dominandique cupiditate reipublicae immineret, nefandas artes atque callida consilia, quibus ille consulatum adfectabat, eludere atque irrita reddere studuit. Hinc tanta in Ciceronem accensus est ira Catilina, ut fere palam illi mortem minaretur. Et vere ipso die comitiali, quem caedi destinaverat, perpetraturus fuisset illud facinus, nisi Cicero re comperta sibi providisset et firmissimo se contra vim sibi paratam munivisset praesidio. Itaque quum loricatus et fortissimorum virorum cohorte stipatus in Campum Martium prodiisset, Catilina non solum a vi facienda prohibitus, sed etiam a consulatu, quem appetebat, repulsus est. Sed ne sic quidem a proposito deterritus est. Vi enim et armis consecuturus, quod arte et consilio consequi non potuerat, sociis, in domum Leccae cujusdam convocatis, rationem, qua ferro ignique rerum potirentur, descripsit atque proposuit. Ante omnia autem consilio Ciceronem e medio tollendi intentus fuit. Sed frustra fuerunt, quas Ciceronis vitae struxerat, insidiae! frustra bellici ab uno conjuratorum, Manlio, in Etruria contra patriam facti apparatus! frustra omnia, quae Catilina cum conjuratis inierat, consilia! Ne multa! unius Ciceronis prudentia et vigilantia gravissima calamitas a bonorum capitibus et ab universa civitate depulsa est.

17. *Cicero vir Consularis*

Cicero, postquam consulatu, tanta laude et gloria gesto abierat, vir consularis inter principes senatores, h. e. inter eos, qui primum in senatu rogarentur sententiam, locum obtinere, et in urbe publicae saluti invigilare maluit, quam Proconsul in provinciam sibi decretam discedere. Primum quidem misere vexabatur ab adversariis, nimiam inprimis potestatem, qua ille Consul indicta causa cives supplicio affecisset, in crimen vocantibus. Contra hos igitur, inprimis

poenam in lege ista constitutam a se amoliretur, sordidatus, ut reus, per vias incedebat, adolescentibus eum ex omni nobilitate plus viginti millibus comitantibus. Quin ipse senatus pro Cicerone deprecabatur. Sed quum neque senatus, neque nobilium, neque populi studiis quicquam effici posset apud consules, Pisonem et Gabinium, in Clodii partem inclinantes; sponte ille solum vertere constituit. Verum enim vero ne sic quidem Clodii ira deferbuit. Nam quum in ipsum Ciceronem saevire non posset, in absentis domum et villas incendio saeviit.

20. *Cicero exsul.*

Quum Cicero in exsilium abiret, primum iter dirigebat in Siciliam, tum Brundusium et inde in Graeciam, ubi navem ad Dyrrhachium appulit. Inde se contulit Thessalonicam in Macedonia, ubi a Cn. Plancio admodum benigne exceptus et quovis humanitatis et liberalitatis genere per septem menses ornatus et cumulatus est. Interea Romae totus fere po pulus ingenti desiderio flagitare coepit Ciceronis reditum. Post acerrima igitur, quibus senatus populusque Romanus contra Clodium exsurrexerant, certamina, Cicero tandem secundum peculiarem legem, a Lentulo rogatam, et insigni populi favore jussam, revocatus est in patriam. Nihil autem per totam vitam Ciceroni itinere, quo in patriam rediit, accidit jucundius. Quocunque enim veniebat, voces ei acclamabantur laetissimae, et, quum ipsi urbi propior factus esset, omnes fere incolae obviam ei ruebant, et suam de ejus reditu laetitiam faustissimis declarabant significationibus.

21. *Cicero post reditum ex exsilio.*

Cicero, quum in urbem rediisset, sicuti statim domos villasque suas, nefario scelere a Clodio direptas atque dirutas reficiendas atque restituendas curavit, ita pristinum de republica et aliis bene merendi studium retractare et de integro exercere coepit. Quicunque eum consuleret, vel ejus in causa aliqua patrocinium peteret, hunc tam consilio suo, quam eloquentia sustentavit, et tutum ab injuria praestitit. Quinquaginta et quatuor annos natus in Collegium Augurum adoptatus est. Paulo post P. Clodius, Ciceroni infestissimus, in fortuito concursu a Milone interfectus est. Defendebat quidem Cicero accusatum de hac caede Milonem, sed ejus eloquentiam adeo pervincebat et obtundebat ferox et incondita Clodii sociorum vociferatio, ut, quo minus in exsi-

lium exigeretur Milo, haud impedire posset. Ciceronis, quae adhuc exstat, pro Milone oratio, scripta demum est tum, quum is jam exsul viveret Massiliae.

22. *Cicero Proconsul in provinciam proficiscitur.*

Cicero, ut supra commemoravimus, repudiavit, quam post consulatum statim administraret, provinciam. Sed duodecim ferme annis post ex senatusconsulto provinciae Ciliciae et finitimis locis Proconsul praeesse jussus est. Quum in provinciam proficisceretur, et ad Ephesum in terram escenderet, ingens Graecorum, tantum virum videre gestientium, undique confluxit copia. Inde properavit in provinciam, ubi, quum variis rebus melius rectiusque constituendis egregiam dedisset operam, tanto successu contra Parthos dimicavit, ut non solum *Imperatoris* nomine ornaretur, sed in ejus honorem etiam supplicatio Romae decerneretur. Exacto anno ex provincia, Quaestori Coelio tradita, Romam decessit.

23. *Ciceronis post reditum ex provincia studia.*

Cicero, in urbem ex provincia redux, suavissime quidem afficiebatur insigni illo, quo totus populus Romanus eum accipiebat, favore et observantia, sed ejusdem simul animus rerum, quae tum Romae movebantur, consideratione graviter perturbabatur. Tantae enim inter Julium Caesarem et Pompejum ortae erant inimicitiae, ut res non nisi bello dirimi posse videretur. Cicero quidem studiose et obnixe faciebat omnia, ut utrumque inter se reconciliaret, et a belli civilis calamitatibus deterreret; sed quum neutrum ad pacem ineundam permovere posset, Pompeji partes amplexus cum optimatum exercitu in Graeciam profectus est. Mox in campis Pharsalicis commissum est memorabile illud proelium, non exercitui tantum Pompeji, sed ipsi quoque, paulo post occiso, funestissimum. Cicero igitur prudenter reditum acceleravit in Italiam, ubi, omni rerum publicarum cura ex animo dimissa, sibi et litteris vivere constituit. Tum primum rhetoricam et philosophiam latinae orationis luce illustrare coepit, scripsitque cum alia, tum *Partitiones Oratorias*; *Brutum* sive *de claris oratoribus*; tres libros *de Oratore*; *Catonem* sive *Laudem M. Catonis Uticensis*.—Sexaginta et duos annos natus de filiae dilectissimae, Tulliae, morte dolorem suscepit longe acerbissimum. Primum quidem dolor ille omnia sapientiae praecepta ex ejus pectore excussisse videbatur, sed deinde, quum sensim sensimque eum ferre didicisset, conscripsit li-

brum *de Consolatione*, qui tamen, quod valde dolendum, temporis injuria nobis ereptus est. Nam liber ille, qui sub hoc nomine in quibusdam Ciceronis editionibus exhibetur, satis aperte alienam manum prodit. Eodem fere tempore plura, quae ad philosophiam spectant, commentatus est, e quibus quinque libri *de Finibus bonorum et malorum* et totidem *Tusculanarum Quaestionum* ad nostra tempora propagati sunt.

24. *Cicero post caedem Caesaris.*

Caesare interfecto, Cicero cum ejus interfectoribus, a quorum societate et consiliis prudenter adhuc refugerat, se contulit in Capitolium. Post tres dies, quum inde descendisset, venit in senatum, et, quicquid ad pacem quietemque servandam conferre videretur, gravi oratione suasit et proposuit. Sperans igitur, fore, ut eorum, quae suasisset, a senatu populoque haberetur ratio, secessit ex urbe in Tusculanum suum, ibique fessus pertaesusque publicarum curarum omne tempus in litterarum studiis contrivit. Ad ea, quae litteris consignavit in otio illo rusticano, referendi sunt libri: *de Natura Deorum; de Divinatione; de Senectute; de Amicitia; de Officiis.*

25. *Cicero Antonii lacessitur insolentia.*

Quum novi motus Romae concitarentur, Cicero imminentem tempestatem itinere, quod in Graeciam facturus erat, effugere tentavit. Sed idem deinde, praesentia sua fortasse motus istos componi posse ratus, ex itinere jam incepto Romam regressus est. Vix autem eo venerat, quum insolenter et contumeliose tractaretur a consule Antonio. Quod quidem tam aegre tulit Cicero, ut in prima Oratione Philippica graviter in consulis insolentiam et inhumanitatem invectus de moderatione erga se adhibenda ageret. Sed tantum abfuit, ut haec oratio mitigaret mutaretque Antonii animum, ut publice nunc se Ciceronis inimicum profiteretur. Tum Cicero ex urbe in villam suam ad Neapolin se recepit, ibique secundam orationem Philippicam, in qua omne virus acerbitatis in Antonium effudisse videtur, composuit. Sed brevi tempore post quum Antonius, ut Dec. Brutum e Gallia Cisalpina pelleret, ex urbe profectus esset, Cicero, ut, hac liberius agendi occasione usus, labefactato liberae reipublicae statui, quae posset, fulcra subderet, celeri pede Romam reversus est. Et vere paulo post, Antonio ad Mutinam victo, nova spes liberae reipublicae affulgere coepit; sed in breve tantum tempus. Octaviano enim et Q. Pedio consuli-

CAPUT PRIMUM.

NARRATIONES BREVIORES EX CICERONIS OPERIBUS EXCERPTAE.

I. *Verae divitiae.*

1. Nunquam ego bona perdidisse dicam, si qui pecus aut supellectilem amiserit; neque non laudabo sapientem illum, Biantem, qui numeratur in septem; cujus quum patriam Prienen cepisset hostis, caeterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, quum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: *Ego vero*, inquit, *facio; nam omnia mea porto mecum.* Ille haec ludibria fortunae, ne sua quidem putavit, quae nos appellamus etiam bona. (Paradoxa c. 1.)

2. Socrates in pompa quum magna vis auri argentique ferretur, *quam multa non desidero*, inquit. (Tusc. Qu. V. 32.)

3. Xenocrates, quum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praesertim, maxima, abduxit legatos ad coenam in Academiam: iis apposuit tantum, quod satis esset, nullo apparatu. Quum postridie rogarent eum, cui numerari juberet, *quid? vos hesterna*, inquit, *coenula non intellexistis, me pecunia non egere?* Quos quum tristiores vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur. (Tusc. Qu. V. 32.)

4. At vero Diogenes liberius, ut Cynicus, Alexandro roganti, ut diceret, si quid opus esset, *nunc quidem paululum*, inquit, *a sole!* Offecerat videlicet apricanti. (Tusc. Qu. V. 32.)

5. Et hic quidem disputare solebat, quanto regem Persarum vita fortunaque superaret; sibi nihil deesse; illi nihil satis unquam fore; se ejus voluptates non desiderare, quibus nunquam satiari ille posset; suaseum consequi nullo modo posse. (Tusc. Qu. V. 32.)

6. Themistocles quum consuleretur, utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret, *ego*, inquit, *malo virum qui pecunia egeat, quam pecuniam quae viro.* (De Offic. II. 20.)

II. *Sapientiae praestantia.*

1. Xenocratem ferunt, nobilem imprimis philosophum, quum quaereretur ex eo, quid adsequerentur ejus discipuli.

respondisse, ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus. (De Republ. I. 2.)

2. Eleus Hippias quum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret, nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, litterarum cognitionem et poetarum, atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de republica dicerentur, sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. (De Orator. III. 32.)

3. Scipioni interroganti Laelium, *quid? Laeli, tum quum tu es iratus, permittis illi iracundiae dominatum animi tui? Non mehercule*, respondit ille, *sed imitor Archytam illum Tarentinum, qui quum ad villam venisset, et omnia aliter offendisset ac jusserat, te infelicem, inquit villico, quem necassem jam verberibus, nisi iratus essem.* (De Republ. I. 38.)

4. Publium Scipionem, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit fere ejus aequalis, *nunquam se minus otiosum esse, quam quum otiosus esset.* Magnifica vero vox et sapiente digna, quae declarat, illum et in otio de negotiis cogitare, et in solitudine secum loqui solitum; ut neque cessaret unquam, et interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duae res, quae languorem afferunt caeteris, illum acuebant, otium et solitudo. (De Offic. III. 1.)

5. Diogenes Cynicus projici se jussit inhumatum. Tum amici: *volucribusne et feris? Minime vero*, inquit; *sed bacillum propter me, quo abigam, ponitote. Qui poteris?* illi; *non enim senties. Quid mihi igitur ferarum laniatus oberit, nihil sentienti?* (Qu. Tusc. I. 43.)

6. Praeclare Anaxagoras, qui quum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, auferri? *nihil necesse est*, inquit; *undique enim ad inferos tantundem viae est.* (Qu. Tusc. I. 43.)

III. *Exempla Fortitudinis.*

1. Lacedaemonius quidam mortem tantopere contemsit, ut quum ad eam duceretur, damnatus ab ephoris, et esset vultu hilari atque laeto, dixissetque ei quidam inimicus, *contemnisne leges Lycurgi?* responderet, *ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea poena multaverit, quam sine mutuatione et sine versura possem dissolvere.* O virum Sparta dig-

num! ut mihi quidem, qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus esse videatur. (Qu. Tusc. I. 42.)

2. Tales innumerabiles nostra civitas tulit. Sed quid duces et principes nominem, quum legiones scribat Cato saepe alacres in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur? (Tusc. Qu. l. c.)

3. Pari animo Lacedaemonii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides:

Dic, hospes, Spartae, nos te hîc vidisse jacentes,
Dum sanctis patriae legibus obsequimur.

E quibus unus, quum Perses hostis in colloquio dixisset glorians: *Solem prae jaculorum multitudine et sagittarum non videbitis.—In umbra igitur*, inquit, *pugnabimus.* (Tusc. Qu. l. c.)

4. Viros commemoro: qualis tandem Lacaena? Quae quum filium in proelium misisset, et interfectum audisset, *idcirco*, inquit, *genueram, ut esset, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.* (Tusc. Qu. l. c.)

5. Lacedaemonii, Philippo minitante per litteras, se omnia quae conarentur prohibiturum, quaesiverunt: num se esset etiam mori prohibiturus? (Qu. Tusc. V. 15.)

6. Fortes et duri Spartiatae; magnam habet vim reipublicae disciplina. Quid? Cyrenaeum Theodorum, philosophum non ignobilem, nonne miramur? Cui quum Lysimachus rex crucem minaretur, *istis, quaeso*, inquit, *ista horribilia minitare purpuratis tuis! Theodori quidem nihil interest, humine an sublime putrescat.* (Tusc. Qu. I. 43.)

7. Illustris mors Epaminondae, illustris Leonidae. Quorum alter quum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam simulque ipse gravi vulnere exanimari se videret, ut primum dispexit, quaesivit, salvusne esset clypeus? Quum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit, essentne fusi hostes? Quumque id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli jussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso in laetitia et in victoria est mortuus. Leonidas autem, rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, quum esset proposita aut fuga turpis aut gloriosa mors, opposuit hostibus. Praeclarae mortes sunt imperatoriae. (De Finib. II. 30.)

8. Clarae mortes pro patria oppetitae, non solum gloriosae rhetoribus, sed etiam beatae videri solent. Repetunt ab Erechtheo, cujus etiam filiae cupide mortem expetiverunt pro vita civium: Codrum, qui se in medios immisit hostes veste famulari, ne posset agnosci, si esset ornatu regio; quod ora-

recepissent: ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes; quaesivitque, num etiam in his navibus Diagoram vehi crederent. (De Nat. Deor. III. 37.)

4. Diogenes Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis praedo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret. (De Nat. Deor. III. 34.)

5. Dionysius quum fanum Proserpinae Locris expilavisset, navigabat Syracusas: isque quum secundissimo vento cursum teneret, ridens, *videtisne*, inquit, *amici, quam bona a diis immortalibus navigatio sacrilegis detur?* Idem quum ad Peloponnesum classem appulisset, et in fanum venisset Jovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis Carthaginiensium tyrannus Gelo. Atque in eo etiam cavillatus est, aestate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum, eique laneum pallium injecit, quum id esse ad omne anni tempus diceret. Idemque Aesculapio Epidauri barbam auream demi jussit: neque enim convenire, barbatum esse filium, quum in omnibus fanis pater imberbis esset. (De Nat. Deor. l. c.)

6. Mensas argenteas idem de omnibus delubris jussit auferri: in quibus quod more veteris Graeciae inscriptum esset, *Bonorum Deorum*, uti se eorum bonitate velle dicebat. Idem Victoriolas aureas, et pateras coronasque, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat, eaque se accipere, non auferre dicebat. Esse enim stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus et dantibus nolle sumere.

7. Eundemque ferunt haec, quae dixi, sublata de fanis in forum protulisse, et per praeconem vendidisse, exactaque pecunia edixisse, ut, quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in suum quodque fanum referret. Ita ad impietatem in deos, in homines adjunxit injuriam. (De Nat. Deor. l. c.)

V. *Exempla praesagiorum de rebus futuris.*

1. Apud Agathoclem scriptum in historia est, Hamilcarem Carthaginiensem, quum oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem, se postridie coenaturum Syracusis; quum autem is dies illuxisset, magnam seditionem in castris ejus inter Poenos et Siculos milites esse factam: quod quum sensissent Syracusani, improviso eos in castra irrupisse, Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum. Ita res somnium comprobavit. (De Divinat. I. 24.)

2. Simonides quum ignotum quendam projectum mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat: si navigasset, eum naufragio esse periturum. Itaque Simonidem rediisse dicunt, periisse caeteros, qui tum navigassent. (De Divinat. I. 27.)

3. Midae Phrygio, quum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana congesserunt. Divitissimum fore praedictum est: quod evenit. At Platoni quum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, singulari illum suavitate orationis fore: ita futura eloquentia provisa in infante est. (De Divinat. I. 36.)

4. Quid? amores et deliciae tuae, Roscius, num aut ipse, aut pro eo totum Lanuvium mentiebatur? Qui quum esset in cunabulis, educareturque in Solonio, qui est campus agri Lanuvini, noctu, lumine apposito, experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu: quo adspectu exterrita clamorem sustulit. Pater autem Roscii ad haruspices retulit: qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. (De Divin. I. 36.)

5. L. Paullus consul iterum, quum ei bellum ut cum rege Perse gereret obtigisset, ut ea ipsa die domum ad vesperum rediit, filiolam suam Tertiam, quae tum erat admodum parva, osculans animadvertit tristiculam. *Quid est*, inquit, *mea Tertia? quid tristis es?* *Mi pater*, inquit, *Persa periit.* Tum ille arctius puellam complexus, *accipio*, inquit, *mea filia, omen.* Erat autem mortuus catellus eo nomine. (De Divin. I. 46.)

6. Bello illo maximo, quod Athenienses et Lacedaemonii summa inter se contentione gesserunt, Pericles ille et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis suae, quum obscurato Sole tenebrae factae essent repente, Atheniensiumque animos summus timor occupavisset, docuisse cives suos dicitur, id quod ipse ab Anaxagora, cujus auditor fuerat, acceperat, certo illud tempore fieri et necessario, quum tota se Luna sub orbem Solis subjecisset; idque fieri non posse nisi certo intermenstruo tempore. Quod quum disputando rationibusque docuisset, populum liberavit metu: erat enim tunc haec nova et ignota ratio, Solem Lunae oppositum solere deficere; quo Thaletem Milesium primum vidisse dicunt. (De Republ. I. 16.)

VI. *Graecorum studia.*

1. Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, jacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. Summam eruditionem Graecia sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas, princeps meo judicio Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur. Themistoclesque aliquot ante annis quum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec qui nesciebat satis excultus doctrina putabatur. (Tusc. Quaest. I. 2.)

2. Secundis suis rebus unusquisque volet mori: non enim tam cumulus bonorum jucundus esse potest, quam molesta decessio. Hanc sententiam significare videtur Laconis illa vox, qui, quum Rhodius Diagoras, Olympionices nobilis, uno die duo suos filios victores Olympiae vidisset, accessit ad senem, et gratulatus, *morere, Diagora*, inquit, *non enim in coelum adscensurus es.*—Magna haec, et nimium fortasse Graeci putant, vel tum potius putabant; isque qui hoc Diagorae dixit, permagnum existimans, tres Olympionicas una e domo prodire, cunctari illum diutius in vita, fortunae objectum, inutile putabat ipsi. (Tusc. Qu. I. 46.)

VII. *Acute dicta nonnulla.*

1. Nasica quum ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset, domi non esse: Nasica sensit, illam domini jussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a janua quaereret: exclamat Nasica: se domi non esse. Tum Ennius: *Quid? ego non cognosco vocem*, inquit, *tuam?*—Hîc Nasica: *homo es impudens: ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse: tu mihi non credis ipsi?* (De Orator. II. 68.)

2. Scipioni majori coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, quum ea saepius rumperetur, P. Licinius Varus, *noli mirari*, inquit, *si non convenit: caput enim magnum est.* (De Orator. II. 61.)

3. Orator quidam malus quum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit Catulum: videreturne misericordiam movisse? *Ac magnam quidem*, inquit: *neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.* (De Orator. II. 69.)

4. Qu. Catulus quum a Philippo interrogaretur, quid latraret? *furem se videre, respondit.* (De Orator. II. 54.)

in concionem magna cum exspectatione venit, dixitque: per utile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt, totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt. (Offic. III. 11.)

III. *Titi Torquati pietas.*

Lucio Manlio, quum Dictator fuisset, Marcus Pomponius tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad Dictaturam gerendam addidisset. Criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus nominatus, ab hominibus relegasset, et rure habitare jussisset. Quod quum audivisset adolescens filius negotium exhiberi patri, accurrisse Romam, et cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur. Cui quum esset nuntiatum, quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo, remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire.

At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit, juravitque, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Juravit, hoc coactus terrore, Pomponius. Rem ad populum detulit: docuit, cur sibi causa desistere necesse esset: Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis jusjurandum valebat. (Offic. III. 31.)

IV. *Reguli in jurejurando conservando religio.*

Attilius Regulus, primo Punico bello captus a Poenis, juratus missus est ad senatum Romanum, ut, nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is, quum Romam venisset, in senatu mandata exposuit, sed reddi captivos, negavit esse utile: illos enim adolescentes esse, et bonos duces, se jam confectum senectute. Cujus quum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt: ipse Carthaginem rediit; neque eum caritas patriae retinuit, nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem, et ad exquisita supplicia proficisci: sed jusjurandum conservandum putabat. (Offic. III. 26.)

V. *Studio et disciplina vinci possunt innata vitia.*

Stilponem, Megareum philosophum, acutum sane hominem et probatum temporibus illis accepimus. Hunc scri-

bunt ipsius familiares, et ebriosum et mulierosum fuisse: neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socratem, nonne legimus, quemadmodum notarit Zopyrus, physiognōmon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem dixit et bardum, quod jugula concavā non haberet; addidit etiam, mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Haec ex naturalibus causis vitia nasci possunt: exstirpari autem et funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina. (Fat. 5.)

VI. *Labore et studio superantur impedimenta naturae.*

Orator futurus imitetur illum, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superarit; quumque ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur: deinde quum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum (id quod ejus scripta declarant) binae ei contentiones vocis et remissiones continerentur: qui etiam, ut memoriae proditum est, conjectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat, neque id consistens in loco, sed inambulans, atque adscensū ingrediens arduo. (De Orat. I. 61.)

VII. *Exemplum spectatae amicitiae.*

Damonem et Pythiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, quum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset, vas factus sit alter ejus sistendi; ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui quum ad diem se recepisset admiratus eorum fidem tyrannus petivit, ut se ad amicitiam tertium ascriberent. (Offic. III. 10.)

VIII. *Timothei de coena apud Platonem judicium.*

Timotheum, clarum hominem Athenis, et principem civitatis, ferunt, quum coenavisset apud Platonem, eoque convivio admodum delectatus esset, vidissetque eum postridie, dixisse, vestrae quidem coenae non solum in praesentia, sed etiam postero die jucundae sunt. (Tusc. Qu. V. 35.)

IX. *Philippus filio suo Alexandro largitionem exprobrat.*

Praeclare epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectetur. Quae te, malum, inquit, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore? (De Offic. II. 15.)

X. *Socratis de beatitudine sententia.*

Socrates, quum esset ex eo quaesitum, Archelaum, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret? haud scio, inquit; nunquam enim cum eo collocutus sum.—Ain' tu? an tu aliter id scire non potes?—Nullo modo.—Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit?—An ego possim, quum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus?—Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas?—Ita prorsus existimo, bonos, beatos; improbos, miseros.—Miser ergo Archelaus?—Certe, si injustus. (Qu. Tusc. V. 12.)

XI. *Phormio coram Hannibale de imperatoris officio disputat.*

Quum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul, proque eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut Phormionem, peripateticum, si vellet, audiret; quumque se non nolle dixisset; locutus esse dicitur homo copiosus, aliquot horas de imperatoris officio, et de omni re militari. Tum, quum caeteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho judicaret. Poenus non optime Graece, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse: sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem. Neque mehercule injuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius

VIII. *Timothei de coena apud Platonem judicium.*

Timotheum, clarum hominem Athenis, et principem civitatis, ferunt, quum coenavisset apud Platonem, eoque convivio admodum delectatus esset, vidissetque eum postridie, dixisse, vestrae quidem coenae non solum in praesentia, sed etiam postero die jucundae sunt. (Tusc. Qu. V. 35.)

IX. *Philippus filio suo Alexandro largitionem exprobrat.*

Praeclare epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectetur. Quae te, malum, inquit, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore? (De Offic. II. 15.)

X. *Socratis de beatitudine sententia.*

Socrates, quum esset ex eo quaesitum, Archelaum, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret? haud scio, inquit; nunquam enim cum eo collocutus sum.—Ain' tu? an tu aliter id scire non potes?—Nullo modo.—Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit?—An ego possim, quum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus?—Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas?—Ita prorsus existimo, bonos, beatos; improbos, miseros.—Miser ergo Archelaus?—Certe, si injustus. (Qu. Tusc. V. 12.)

XI. *Phormio coram Hannibale de imperatoris officio disputat.*

Quum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul, proque eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut Phormionem, peripateticum, si vellet, audiret; quumque se non nolle dixisset; locutus esse dicitur homo copiosus, aliquot horas de imperatoris officio, et de omni re militari. Tum, quum caeteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho judicaret. Poenus non optime Graece, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse: sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem. Neque mehercule injuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius

fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certasset, Graecum hominem, qui numquam hostem, numquam castra vidisset, numquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare? (De Orat. II. 18.)

XII. *Cibi et potionis condimenta fames et sitis.*

Quis non videt, desideriis condiri epulas? Darius in fuga, quum aquam turbidam, et cadaveribus inquinatam, bibisset, negavit umquam se bibisse jucundius. Numquam videlicet sitiens biberat. Nec esuriens Ptolemaeus ederat: cui quum peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius. Socratem ferunt, quum usque ad vesperum contentius ambularet, quaesitumque esset ex eo, quare id faceret; respondisse, se, quo melius coenaret, opsonare ambulando famem. Quid? victum Lacedaemoniorum in phiditiis nonne videmus? ubi quum tyrannus coenavisset Dionysius, negavit se jure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat: minime mirum: condimenta enim defuere. Quae tandem? inquit ille. Labor in venatu, sudor, cursus ad Eurotam, fames, sitis. His enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur. (Qu. Tusc. V. 34.)

XIII. *Splendida tyrannorum miseria.*

Dionysius major, Siciliae tyrannus, ipse indicavit, quam esset beatus. Nam quum quidam ex ejus assentatoribus, Damocles, commemoraret, in sermone copias ejus, opes, majestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum, negaretque, unquam beatiorem quemquam fuisse: visne igitur, inquit, Damocle, quoniam haec te vita delectat, ipse eandem degustare, et fortunam experiri meam? Quum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrime textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures ornavit argento auroque caelato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronae: incendebantur odores, mensae conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium, e lacunari seta equina aptum, demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos ministratores adspiciebat, nec plenum artis argentum: nec

manum porrigebat in mensam. Jam ipsae defluebant coronae. Denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat? (Tusc. Qu. V. 21.)

XIV. *Dionysii tyranni ingenium.*

Duodequadraginta annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, quum quinque et viginti annos natus dominatum occupavisset. Qua pulchritudine urbem, quibus opibus praeditam servitute oppressam tenuit civitatem! Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus, summam fuisse ejus in victu temperantiam, in rebusque gerendis virum acrem et industrium, eundem tamen maleficum natura et injustum. Ex quo omnibus, bene veritatem intuentibus, videri necesse est miserrimum. Ea enim ipsa, quae concupierat, ne tum quidem, quum omnia se posse censebat, consequebatur. Qui quum esset bonis parentibus atque honesto loco natus (etsi id quidem alius alio modo tradidit,) abundaretque aequalium familiaritatibus et consuetudine propinquorum: credebat eorum nemini; sed iis, quos ex familiis locupletum servos delegerat, quibus nomen servitutis ipse detraxerat, et quibusdam convenis et feris barbaris, corporis custodiam committebat. Ita propter injustam dominatus cupiditatem in carcerem quodammodo se ipse incluserat. Quin etiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. Ita sordido ancillarique artificio regiae virgines, ut tonstriculae, tondebant barbam et capillum patris. Et tamen ab iis ipsis, quum jam essent adultae, ferrum removit, instituitque, ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. Quumque duas uxores haberet, sic noctu ad eas ventitabat, ut omnia specularetur, et perscrutaretur ante. Et, quum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset, ejusque fossae transitum ponticulo ligneo conjunxisset: eum ipsum, quum forem cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque quum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex alta turri solebat. Atque is, quum pila ludere vellet (studiose enim id factitabat) tunicamque poneret: adolescentulo tradidisse gladium dicitur. Hic, quum quidam familiaris jocans dixisset: *Huic quidem certe vitam tuam committis*, arrisissetque adolescens: utrumque jussit interfici: alterum, quia viam demonstravisset interimendi sui, alterum, quia id dictum risu approbavisset. Atque eo facto sic doluit, ut nihil gravius tulerit in vita. Quem enim vehementer amarat, occiderat.

quanti Pythius voluit, et emit instructos; nomina facit, negotium conficit. Invitat Canius postridie familiares suos: venit ipse mature: scalmum nullum videt. Quaerit ex proximo vicino, num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret? *Nullae, quod sciam*, inquit ille; *sed hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar, quid accidisset.* Stomachari Canius. Sed quid faceret? nondum enim Aquillius protulerat *de dolo malo* formulas. (Off. III. 14.)

XVII. *De insigni Themistoclis memoria.*

